

## De allitteratione sermonis latini.

Scriptis A. F. Naekius.

---

**R**em aggredior neque per se reconditam, neque neglectam viris doctis, sed tamen dignam, de qua semel hac aetate paullo dicatur explicatius. De *allitteratione* enim, quam dico, sermonis latini quum olim copiose actum sit a viris eruditis, paulatim ea quaestio languescere, et quasi delitescere, atque abire ex oculis hominum coepit. Certe me scio, quum de Pontano, aliis, mature cognovissem, in Vossii disputationem, auctoris omnium fortasse post Pontanum diligentissimi, tum demum incidisse, quum iam collecta haberem haec mea ac disposita. Idemque aliis accidisse suspicor. Nam qui ea aetate, quae fuit inter Pontanum et Vossium media, et post Vossium, allitterationem attigerunt, et pauciores sunt, ut mihi videtur, et parcius attigerunt, quam expectes ea in re, quam ipsi scriptores veteres tam luculenter oculis exposuerunt omnium: plerique ea tantum exempla, quae ita sunt manifesta, nullum ut oculum auremque fallere possint; nonnulli ita, ut supra modum mirari singula videantur, minus, puto, miraturi, si multa esse eiusmodi, partim iam collecta, reputassent; alii, ut totam rem videantur parvi pendere. Rursus a Vossii disputatione quid nostra differat, intelligent, qui volent comparationem instituere: ac fortasse fines huius rei, quam late pateant, et quam varie sit per sermonem latinum diffusa allitteratio, primus aut sensisse dicar, aut, quoniam hoc non audeo dicere, probabili modo declarasse.

Igitur de allitteratione sermonis latini, ut eos nunc taceam,

qui homoeoteleuton explicuere, quam partem esse allitterationis videbimus, auctores, quos ego novi, praecipui sunt Ioannes Io-  
 vianus Pontanus, et G. I. Vossius. Quorum ille primus hanc  
 rem diligenti et, quantum quidem Virgilium attinet, satis ple-  
 na, vel etiam abundante passim disputatione tentavit, in dia-  
 logo, cui nomen Actius, fol. 127. b. seq. ed. Ald. 1519. Non  
 vidi quae Bartholomaeus Maranta scripsit Venusinus, ad eum-  
 dem, ut coniiicio, aut omnia, aut maximam partem, Virgilium  
 spectantia. Vossii autem huc pertinent ea, quae scripsit Insti-  
 tut. Orator. Lib. IV. Cap. II. mem. 2. 3. 4. Cf. Lib. V. Cap. V,  
 3. Brevius, et magis obiter, quam diserte ac data opera, ut non-  
 nullos commemorem: Turnebus Advers. VII. 19. Victorius Var.  
 Lect. XVI. 19. XXVII. 11. Muretus ad Tibull. I. 1, 7. Gifanius  
 Collect. Lucret. v. *Geminationes*, H. Columna in Vita Ennii p.  
 9. ed. Hessel. Broukhusius ad Tibull. I. 1, 3. et nuper H. Stieg-  
 litz. de Pacuvii Duloreste p. 81. 2. Praeterca obvia in sin-  
 gulis scriptoribus allitterationis exempla hic illic observaverunt  
 editores atque interpretes: ut C. Langius in Cic. Cat. mai. c. 11.  
 Lambinus in Lucret. V. 991. idemque, et Lindemannus, in  
 Plauto aliquoties, e. g. in Captiv. II. 3, 49. IV. 3, 3. seqq. in  
 Trinumm. II. 2, 17. Acidalius in Stich. II. 2, 16. 17. H. Columna  
 in Fragm. Ennii p. 60. p. 131. a. p. 235. extr. p. 308. a. Et  
 plerumque quidem viri docti in paronomasia consistunt, quam  
 diversam ab allitteratione, multoque arctioribus esse finibus,  
 statuimus; aut, quod paullo ante dicebam, mirantur eos locos,  
 qui ita cumulata allitteratione perstrepunt, ut neminem non  
 advertant: minuta, hoc est, quae videntur minuta esse, quam-  
 quam vix dici posse puto, quid sit hac in re minutum, prae-  
 tereunt.

Alii me latent haud dubie, et fortasse multi. Mirum  
 enim, ni multi rem tam ad observandum facilem observave-  
 rint, praesertim Germani, qui ipsi fontem allitterationis uber-  
 rimum domi habemus. Sed ne hanc quidem quaestionem,  
 quae est de allitteratione in lingua germanica, accurate tra-

ctatam a quopiam scio ante Iacobum Grimm : Deutsche Rechtsalterthümer pag. 6. seqq. Ubi etiam pag. 23. sq. inter tautologiae exempla, quae ex legibus constitutionibusque Germanorum latine scriptis affert Grimmius, nonnulla sunt quae allitterationem habent, non aliena illa a re nostra. Quae enim lingua tam sera aetate, et hominibus barbaris tam ad allitterationem se praebuit facilem, in ea naturalem quamdam fuisse propensionem ad effingendas allitterationes probabile est. Apud antiquos allitterationis exempla tanto numero, totumque sermonem latinum studio affectum allitterationis videbimus ita, ut nescias, utrum caussam studii in scriptoribus, poetis maxime, sed etiam aliis, qui quod ipsis placuisset, in sermonem intulerint, an in sermone quaeras communi, quotidiano, cui scriptores obtemperaverint. *Allitterationem*, vocabulo usitato nostratibus in observatione linguae Germanicae, et cognatarum, ut Islandicae, ego Pontani auctoritate dico, quia nullum invenio antiquum vocabulum, quod ea, quae ad allitterationem pertinent, complectatur omnia. Ac profecto non mirum, si nullum Latini commune atque generale vocabulum habuerint ei rei, cui ita assuetae aures, et assueta ora erant omnium, ut saepe non animadverteretur. Dicit aliquoties *annominatio-nem* Pontanus, et sane *annominatio* coniuncta esse cum *alliteratione* solet. Verum non omnis *alliteratio* cum *annominatio-nem* coniuncta est. Quum enim quam *allitterationem* dicimus, per se neque sententiarum oppositionem sibi postulet, neque in verbis versetur, sed tantum in litteris: *annominatio*, sive *παρονομασία*, multis bonis scriptoribus, Auctore librorum ad Herennium IV. 21. Rutilio Lupo I. 3. Aquila Rom. p. 170. Iulio Rufin. p. 236. Sosip. Charisio IV. 251. Diomede II 441. et ipso Cicerone de Orat. II. 63. praecipientibus, proprie est, quum inter se opponuntur verba idem vel simile sonantia, sed significatione ac sensu diversa. Cf. si placet, Donatus in Terent. Andr. IV. 4, 38. Donatus 1774. Putsch. Martianus Capella V. p. 174. Grot. Sed conferendus etiam Quin-

tilianus IX. 3, 66. seqq. cui exempla aliquot cum Auctore libb. ad Herennium communia esse animadverterunt interpretes. Ad *annominationem* pertinet, quam idem Quintilianus VI. 3, 53. *nominum fictionem* dicit. Calpurnius Piso apud Merulam ad Fragm. Ennii p. 468. *annominationis* nomine verae annominationis, sive paronomasiae, exemplum e Cicerone, *facie magis, quam facetiis ridiculus*; aliud, quod non tam proprie ad paronomasiam referas, comprehendit, ex Pacuvio *Lapit cor cura*. Iulium Rufinianum video p. 237. *paronomasiae* sive *annominationis* vocabulum eo sensu accipere, quo nos *allitterationem* dicimus. Recenset enim Virgiliana haec: *instantes — ferentes*, Aen. XI. 872. *puppisque — pubesque*, Aen. I. 399. Verum vide, quam hoc ipsum dubitanter faciat: nam scribit: *quale illud poterit forsitan videri*. Sentiebat aliquid deesse exemplis hisce, ut vera sint paronomasiae sive annominationis exempla. Igitur *annominatio* non satis aptum huic rei, quam dicimus allitterationem, nomen est. Posses *similia* dicere, e Quintiliano IX. 3, 75. nisi nimis ambiguo sensu appellatio esset. deinde Quintilianus non comprehendit *similium* appellatione illam simplicissimam atque usitatissimam speciem, quum similitudo cernitur in una littera repetita. *Παρίσῳσι* dicit Victorius V. L. XXVII. 11. *Geminationes* Gifanius, et Broukhusius l. l. *Παρήχησι* non male I. Guilielmus Quaest. in Plaut. Amphitr. c. 1. Vossius l. l. V. 5, 3. Gesnerus ad Quintil. IX. 4, 41. Nos *allitterationem* cum Pontano, qui eam ita definit: *Fit itaque in versu, quoties dictiones continuatae vel binae, vel ternae ab iisdem primis consonantibus, mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis, aut ab iisdem primis vocalibus*. *Delectat autem Alliteratio haec mirifice in primis et ultimis locis facta, in mediis quoque, licet ibidem aures minus sint intentae*. Et haec quidem definitio non complectitur omnes allitterationis species; ne eas quidem, quarum postea ipse mentionem Pontanus facit. Nos operam dabimus, ut complectamur omnia.

Exempla autem non ex uno eoque recentiore scriptore, ut Pontanus facit, qui fere in Virgilio consistit, sed ex antiquioribus petemus, maxime e Plauto, qui et antiquitate sua gravior testis, et tot reliquit fabulas, ut si quem in omnibus constantem usum deprehendas, eum non fortuitum consensum esse certum sit. Quamquam etiam hoc satis memorabile, quod Pontanus ostendit, multum allitterationis usum apud Virgilium esse. Ne quis vero cupide me agere, et quicquid simile allitterationis arripere suspicetur, sciat non omnia me dare, sed quae maxime sint conspicua, et crebra repetitione certa. Deinde tota locorum agmina sciens ac prudens segrego atque excludo ab hac disputatione: eos dico, ubi allitteratio cum alio quodam sermonis artificio coniuncta est, ut nescias, utrum maiorem ad percutiendas aures allitteratio vim, an alterum artificium habeat. Itaque excludo annominationis, sive paronomasiae, exempla. Etsi aegre me ab his abstineo: tam bella sunt apud Plautum. Neque desunt apud Terentium. Et nonnulla quidem inserui, quae dubites utrum ad allitterationem annumeranda simplicem, an vindicanda sint paronomasiae. Deinde excludo multas vocabulorum cognatorum con-sociationes, quae neque Pareum praeteriere: cf. *Lexicon Plautinum, Atticismus, Parallela, Paronomasiae Plautinae*. Delibabimus nonnulla, in ordinem redacta, ut distingui varia genera queant. Primo illa Comiciis cum optimis scriptoribus prosae orationis communia: *facinus facere, gaudium gaudere, pugnare pugnare, servitatem servire*. Qualia e Plauto Pareus collegit in *Lexico Plautino, v. Atticismus, et v. Parallela*. Sic Plautus saepe: *dicta dixit, dicta dicere, facta facere*, et ut paullo magis exquisita commemorem: *piem Pietatem* Asin. III. 1, 3. *potestas plus potest* Cas. II. 4, 4. *specimen specitur, nunc certamen cernitur* Cas. III. 1, 2. et Bacch. III. 2, 15. *noxam nocere* Livius IX. 10, 9. et Icti, inde a Legg. XII Tab. Commemorat talia, *fugam fugit, factum facit, pugna pugnata est*, Diomedes II. 441. refertque ad paronoma-

siam. Non satis recte, opinor. Veluti *factum facere* tum de-  
 mum vera paronomasia esset, si qua legeretur cum acumine,  
 ut *actum agere* dicitur de labore, qui frustra est, Phorm. II.  
 3, 72. Cistell. IV. 2, 36. Pseud. I. 3, 28. ut *nota noscere* Mil.  
 III. 1, 42. *doctum doces* Poen. IV. 2, 58. *perditum perdere* ap.  
 Ciceronem Epist. ad Terentiam XIV. 1, 12. et inversa ratione,  
*perdita perdidit me* Cistell. IV. 2, 18. Aliud genus est, valde  
 et ipsum usitatum, quum nomina cognata duo consociantur,  
 ut *fors fortuna* Hecyr. III. 3, 26, Phorm. V. 6, 1. *forte for-*  
*tuna* Eunuch. I. 2, 54. III. 5, 20. Mil. II. 3, 16. Bacch. IV.  
 8, 75. ubi etiam tertium *for* accedit, *forte fortuna hic fo-*  
*ret. miserrima - miseria* Amphitr. II. 1, 43. *Bacchae bac-*  
*chanti* ibid. II. 2, 71. *Ops opulenta* Cistell. II. 1, 39. *nito-*  
*ribus nitidis* Cas. II. 3, 1. *ludi ludificabiles* ibid. IV.  
 1, 3. *pretio pretioso* Epid. I. 2, 17. *suavis Suaviatio* Bacch.  
 I, 2, 8. et 12. *Venus venusta, venustissima Venere, venerum*  
*atque venustatum*, Mostell. I. 3, 5. Poen. V. 4, 4. Stich. II. 1, 5.  
*gratas* (al. *grates*) *gratias* Poen. I. 1, 6. *gratis gratas* Trin. IV.  
 1, 2. *gratas gratias*, fortasse ex loco Poenuli, Diomedes l. l.  
 habet: verum neque hoc recte ad paronomasiam refertur. Me-  
 lius eo retuleris illa, de quibus ego alibi, *sepultura insepulta,*  
*innuptis nuptiis, numeri innumeri, iniusta iusta.* Acumen enim  
 in his manifestum inest. Alio modo *iusta iniusta* Terentius  
 iungit Heautont. IV. 7, 11. Adelph. V. 9, 33. Rursus aliud est,  
 quum ad nomen additur cognatum adverbium: *misere miseri*  
 Cistell. IV. 2, 21. cf. Pseud. I. 1, 11. *scite scitus es* Cas. III. 1, 8.  
*i-bella belle* Asin. III. 3, 86. sequere istum *bella belle* Curcul.  
 IV. 2, 35. *bellam belle* tangere Rud. II. 4, 12. cf. Cas. IV. 4, 28.  
*unice unum* Bacch. II. 2, 29. Truc. I. 2, 91. *doctum docte* fallas  
 Bacch. IV. 4, 43. cf. in quo iam magis aperta allitterationis  
 affectatio, attondit *dolis doctis indoctum* ibid. V. 1, 9. add.  
 Mostell. I. 3, 122. *bene bonis* Bacch. IV. 4, 74. *inique iniqui*  
*inrideant* Hecyr. prol. II. 46. ubi tertium *i* observandum. Ap-  
 paret haec non omnia eodem modo dicta esse, atque in pleris-

que non cum nomine adverbium, sed cum verbo construendum est. Verum hoc tamen commune omnibus, quod placuit scriptori vocem eandem variata forma bis ponere, et quidem continuo ponere. Proximum est, quum verbum ponitur cum cognato adverbio, vel etiam cum nomine adverbii loco: *statim stant* Amphitr. I. 1, 120. *memorat memoriter* ibid. 261. *Memoriter meminisse* Capt. II. 1, 53. *memoria memini* Capt. II. 3, 33. ubi cf. Lambin. *inluciscas luce* Amphitr. I. 3, 49. *luce lucebit* Curcul. I. 3, 26. *propere properas, propere propera* Curcul. IV. 3, 3. V. 3, 10. *cupide cupis* Cas. II. 3, 49. *iure iudico* ibid. II. 6, 23. *tacitus taceas tute tecum* Epid. V. 1, 44. cum manifesta *t* litterae cupiditate. *nomine nominat* Bacch. V. 2, 1. *curro curriculo* Mostell. II. 1, 15. *transcurrere curriculo* Mil. II. 6, 43. 45. *Curriculo percurrere* Heautont. IV. 4, 11. cf. Trin. IV. 4, 11. *cursim curram* Pseud. I. 3, 124. *curre cursim* Afranius ap. Sosp. Charis. II. 186. *exoretur exorabilis* Trucul. I. 1, 6. *tempestivo temperint (temperent)* ibid. 41. *nitide nitet* ibid. II. 4, 3. Sed omnino sic multis modis accuulantur verba sive eadem, sive eadem prognata stirpe, idemque sonantia, manifesto plerumque lusu sive acumine. Apponam nonnulla promiscue. *aliquid, aliqua, aliquo modo, Alicunde, ab aliqui, aliqua* tibi spes Epid. III. 1, 10, 11. cf. 13. *iuste ab iustis iustus* sum orator datus Amphitr. prol. 34. cf. 35. 36. *Optumo optume optumam operam* das ibid. I. 1, 122. ubi quod *operam* sequitur, manifestam allitterationem facit. Cf. Acidal. Divinat. in Amphitr. cap. 3. ne me appella *falso falso* nomine ibid. II. 2, 181. ubi mihi fere magis placet *falso falso* quam *falsa falso*. Sic *verum verum nescio* Bacch. II. 3, 89. *faciam ut faciat facilius* Capt. II. 3, 49. *faciat facilius* Poen. V. 2, 149. *facile factis* ibid. I. 2, 94. *facilia factu facta sunt* Pers. V. 1, 9. *facta infecta facere* Truc. IV. 2, 17. cf. Amphitr. III. 2, 3. Cas. IV. 4, 9. Mostell. I. 3, 27. Mil. II. 2, 72. Pers. IV. 4, 120. *facilius nihilo facit* Trin. II. 3, 6. *mala malae male monstrant* Cas. IV. 4, 7. ubi observandum, quod facit ad allitterationem,

*monstrant. Ibidem Grex: manibus meritis meritam mercedem* date. Protuli propter repetitum *meritis meritam*; sed praeterea observanda allitteratio quadruplex in *m*, et allitteratio *mer*. *Malis* te ut verbis *multis multum* obiurgitem Trin. I. 2, 30. *amoenitate amoena amoenus* oneravit dies Capt. IV. 1, 7. *Quod bonis beneficit beneficium* Capt. II. 2, 108. *bonus bonis bene feceris* Poen. V. 4, 46. *qui cupida cupiens cupienter cupit*: Ennius ap. Nonium p. 91, 8. *solus solum* Capt. III. 4, 70. Trin. I. 2. 116. *solum solus* Hecyr. IV. 1, 42. *solae solum* Mil. IV. 2. 28. *sola soli* Hecyr. III. 2, 15. *solus cum sola* Eunuch. III. 5, 31. *miseriae miseria est* Trucul. II. 5, 13. *omnes omnia* Capt. II. 2, 105. Andr. I. 1, 69. Adolph. V. 9, 21. ubi etiam alia allitteratio in *o* littera, Hecyr. V. 4, 27. *aequo animo aequa* noscere Adolph. III. 4, 58. *homo hominum*, vel *hominum homo*, *optimus, miserior, teterrime* etc. Capt. II. 2, 83. III. 4, 8. Mostell. III. 1, 65. Trin. V. 1, 1. Adolph. II. 2, 10. Phorm. V. 6, 13.

Haec igitur omnia, iis, in quibus diserte monui de alliteratione, exceptis, non propter alliterationem attuli, sed ut distinguerem ab ea quam proprie alliterationem dico, cuius nunc exempla propositurus sum. Veniam autem peto, si quis forte aut in illis Plauti exemplis, quae protuli, aut in his, quae sequentur, corrupto me usum loco esse invenerit. Quod facile accidere potest in tanta locorum multitudine. Neque eo derogatum iri quicquam de veritate disputationis nostrae puto: spondeo enim pro uno, quod quis mihi emendando eripuerit, exemplo facile eundem dena esse alia, quae substituantur, reperturum.

Fit allitteratio

- I. primis litteris; primis syllabis.
- II. in una postrema et altera prima syllaba.
- III. in mediis vocibus.
- IV. in postremis syllabis. Quod *homocoteleuton* dici solet.

Ex his illa, quae dixi I. tam usitata latine loquentibus fuere, ut raro animadversa fuerint. Scilicet quod apud omnes legeris, vel ab omnibus audieris quotidie, in eo non facile invenies, quod dignum animadversione videatur. Quare grammaticos ea tantum commoverunt, ubi inprimis crebra allitteratio, et in poetis maxime notis. Ut Servius haec observavit in Aeneide: III. 82. *Anchisen agnovit amicum.* ibid. 183. *casus Cassandra canebat.* V. 866. *sale saxa sonabant:* et illud ex eo genere, quod apud me II. est, II. 27. *Dorica castra.* Servius in hunc locum II. 27. *Dorica castra. Mala est compositio ab ea syllaba incipere, qua superior finitus est sermo. nam plerumque (et omittit Augustanus) cacemphaton facit, ut hoc loco.* Idem Servius in III. 183. *casus Cassandra canebat.* *Haec compositio iam vitiosa est, quae maioribus placuit. ut Anchisen agnovit amicum. et sale saxa sonabant.* Idem in V. 866. paullo clementius: *et bene imitatus est maris stridorem: sale saxa sonabant.* Recte Broukhusius ad Tibull. I. 1, 3. Servium reprehendit, et Isidorum Orig. I. c. 33. quod plus quam maiores sapere voluerint, et non solum ex poetis, sed ex uno Cicerone sexcenta tanta coacervari posse dicit. Sed laudo tamen in Servio, quod placuisse talia maioribus sciverit, ac monuerit. Alii usum antiquum illum atque communem plane non attingunt, sed versum apponunt, in quo allitteratio supra modum frequens, idque *παρόμοιον* appellant: Sosp. Charisius IV. 251. Donatus 1774. hunc Ennii, qui notus ex Lib. ad Herennium IV. 12.

*O Tite, tute, Tuti, tibi tanta tyranne tulisti.*

Diomedes II. 441. hunc, quem fictum a grammatico e locis Virgilianis II. 46. 237. 240. putem:

*Machina multa minax minitatur maxima muris.*

Scripti *minitatur*: vulgo *minatur* legitur. Ab hoc Diomedes ibid. *παρόμοιον* distinguit alterum, cuius exemplum ponit ex Virgilio Aen. IV. 3. *Multa viri virtus animo, multusque recursat Gentis honos.* ubi quod Diomedes vult *παρόμοιον* esse,

non in allitteratione *virī virtus*, sed tantum in *multa — multus* positam esse puto.

Huius igitur generis, vel horum generum, quae sub I. comprehendo, I. I. Pontanus exempla ex Virgilio, quantum satis, ex Lucretio nonnulla protulit. Etiam e Cicerone, Brut. c. 38. *fingit, format, flectit*; de Orat. II. *quodque me sollicitare summe solet*. E Plauto unum, Poenul. I. 2, 145. *pugnis pectas* (Pontanus *plectas*) *postea*. Huc pertinent, quae e Tragoediae Latinae fragmentis attulerunt H. Columna et H. Stieglitz. I. I. At apud Comicos, Plautum maxime, tanto exempla numero, nullum ut finem invenias enumerando. Et hic quidem maxime ille locus est, ex quo apparet non deberi scriptoribus, sed domesticam fuisse in sermone latino allitterationem. Quodsi nullus in sermone latino allitterationis usus, nullus amor fuisset, neque tam frequentes in allitterationis usu Comicos, neque tam constantem in iisdem dictionibus usum allitterationis videremus. Ut illa statim, quam ex Poenulo profert Pontanus, non huic propria loco est, sed usu quasi sancita hac in dictione, communis, perpetua: cf. Menaechn. V. 7, 28. Rud. III. 2, 47. Etsi Pontani exemplum eo est magis conspicuum, quod ibi tertium *p* accedit. Incipiam a vocalibus, quarum minor est, si recte observavi, hanc in allitterationem, quae fit primis litteris, ac primis syllabis, usus. Et saepe, quum allitterationis hic sit finis, ut feriat aures, maior ad percutiendas aures potestas in consonantibus est, quam in vocalibus. Sunt tamen etiam huius generis satis multa, ac saepe subiecta vocali consonans auget atque corroborat allitterationem. Observandum autem, quod et Pontanus fol. 128. b. vidit, non opus esse, ut continuo se excipiant verba, in quibus fit allitteratio: potest aliud interiectum esse. Praeterea teneri velim, non anxie me ea in allitteratione, quae fit primis syllabis, consistere, sed admiscere exempla eiusmodi, in quibus primarum syllabarum concertum auget confirmatque consonantium, quae secundas sylla-

bas inchoant, concentus: ut *amicus* — *amator*, *acria* — *acerba*. et talia, quale illud est Attii in Decio: *invicte*, *invoco*. qualia eodem iure hoc ponere loco, quo ego posui, atque infra inserere, ubi de allitteratione consonantium, licet.

Ex Virgilio Pontanus haec habet:

*Anchisen agnovit amicum.* Aen. III. 82.

*Insontem, infando indicio,* II. 84. *Impulit: impulsu* VIII. 239. quae non solum allitteratio est, sed ad illud genus pertinet, de quo ego paullo ante.

*Ipsa canas oro. finem dedit ore loquendi.* VI. 76.

E Plauto et Terentio selegi haec.

adi, atque alloquere Capt. III. 4, 8. adibo atque alloquar Men. III. 2, 8. Adeamus, appellemus Mil. II. 5, 10, Adibo, — atque appellabo Poen. V. 2, 22. Adi atque appella ibid. 32. adire atque appellare Trin. IV. 3, 34. Accedam atque appellabo Mostell. III. 1, 12. Accede — atque adi Rud. I. 4, 22. admonitum advento Aulul. II. 1, 24. Tristem astare aspicio Cas. II. 3, 12. accurare addecet Trin. I. 2, 41. Adsido: adcurrunt Heautont. I. 1, 72. adeo adest: abi ibid. IV. 5, 56. accessi: astiti Phorm. V. 6, 27. agit, appetit Cistell. II. 1, 8. aut amet, aut adeat Bacch. IV. 3, 6. abdomen adimere Mil. V. 5. Aperite atque appropriate Stich. II. 1, 37. addidero amplius Trin. IV. 2, 13. accipias, amittas Eunuch. IV. 6, 13. accessi, abscessero Trin. III. 2, 84. etsi hoc non solum in allitteratione, sed in repetitione eiusdem verbi, paululum immutati, ludit: cf. Amphitr. III. 4, 1. 7. agite, abscedite Stich. I. 2, 33. abiit, abstulit Cistell. III. 19. abiit, abscessit Trucul. IV. 4, 31. abducat, abeatque Mil. III. 1, 175. Non multum tribuo exemplis his, in quibus allitteratio eiusdem repetitioni praepositionis debetur. Quamquam aliquid haec quoque ad declarandam sermonis latini proprietatem conferunt. Illi enim sic ubique, in omni genere, etiam tragoedia, oratione. Nostrates qui eleganter scribunt, repetitionem istam

magis defugiunt, quam quaerunt, placentque variatione: *Verhöhnt! bedrängt! gehasst! zermalmt! getödtet!* Quod poeta latinus ita fere dicturus erat: *Inanimum, inopem, irrisum, inermem, profligatum, perditum.* Neque Graecos in eo sibi placere video. At apud Romanos ne illud quidem, cum ipso sermone natum, *animum advertere*, sine aliqua allitterationis cupiditate, vel ex allitteratione voluptate, natum putaverim. et reliqua: applicare animum; animum, vel animos, adhibere; animum adpulit. animos attendere - atque adhibere Lucilius ap. Nonium p. 238, 11. nisi ibi ex probabili coniectura legendum sit: animos attendere dictis Atque aures adhibere velis.

adiuvant, augent, amant Men. III. 3, 27.

accolae, advenae Aulul. III. 1, 1. Agricolae, accolae Rud. III. 2, 2.

animi amorisque Cas. II, 1, 7. Anima est amica amanti Bacch. II. 2, 16. Adimit animam mi aegritudo Trin. IV. 3, 84. animam agebat ibid. 85. adeste aequo animo Andr. prol. 24. Heautont. prol. 35. aequo animo attendite Hecyr. prol. II. 20. advocati - atque amici Amphitr. IV. 3, 6. advocato atque arbitro Trinum. V. 2, 37. amicos, affines Bacch. III. 1, 13. Ab amico alicunde argentum Trin. III. 3, 29. amicum amiseris ibid. IV. 3, 47. amicus atque amator Trucul. I. 2, 70. amandi amicam Hecyr. IV. 4, 62. per amicitiam et per amorem Andr. II. 1, 26. amore ardeo Eunuch. I. 1, 27. Amore abundas, Antipho Phorm. I. 3, 11. amorem, amoenitatemque Mil. III. 1, 62. amoena amet Stich. V. 5, 1. amabo, atque amplexabo Poen. V. 4, 60.

Armati atque animati Bacch. IV. 9, 18. ubi ad allitterationem primarum syllabarum accedit homoeoteleuton *mati*. ut multis locis. Verum id nunc non curamus.

acria atque acerba Bacch. IV. 3, 15.

acerbo aceto Trucul. I. 2, 77. acris aceti Varro ap. Nonium p. 83, 27. acetum - acre Bacch. III. 3, 1.

atque agro adoreaue affecit Amphitr. I. 1, 38.

hariolos, haruspices Amphitr. V. 2, 2. ariolos aruspices Poen. III. 5, 46. hariolae atque aruspicae Mil. III. 1, 99.

avidos, aridos Pers. II. 3, 14. avidum, miserum atque aridum Heautont. III. 2, 15.

autumare illum audio Amphitr. I. 1, 260.

Actum, aiunt, ne agas Phorm. II. 3, 72. quod appono propter tertium *a* in *aiunt*: nam *actum agas* non est simplex allitteratio. Cf. paullo ante dicta p. 329.

ab avo atque atavo Phorm. II. 3, 48.

aulam - auri Aulul. IV. 2, 4. 10. et saepius in ea fabula.

Asia, atque Arabia Trin. IV. 2, 3. Quum alia posset nomina ponere, Plauto *Arabia* se obtulit, ut fieret allitteratio.

aqua advorsa per amnem Trin. IV. 2, 110.

Adsum, atque advenio Acherunte vix via alta atque aspera: Ennius Hecuba.

albus an ater Catullus 93. 2. albus aterne Cicero Philipp. II. c. 16. niger an albus Phaedrus III. 15, 10. minus eleganter, et minus ad percutiendas aures commode, quia sine allitteratione.

amicae - amictus amiculo Cicero de Divin. II. c. 69. observatum Vavassori de vi et usu quorund. verbor. p. 572. ed. Kapp.

In *e* rara allitteratio, praeterquam in *e*, *ex*, praepositione, exercitum extemplo Amphitr. I. 1, 52. extinguere extempulo Aulul. I. 2, 15. exilium exitio est Capt. III. 3, 4. examinata exsiluit Cas. III. 5, 8. Expectando exedor — atque exenteror Epid. III. 1, 1. exanimata exsequitur ibid. IV. 2, 3. equis, exercitu, atque eximiis bellatoribus Bacch. IV. 9, 3. Excidium, exitium, exlecebra ibid. 20. exemplum expetis Mostell. V. 1, 67. exemplum experiundi Mil. III. 1, 43. Eluas tu an emungare (vulg. exungare) Rud. II. 7, 22. experiri ex-

petivi *ibid.* IV. 2, 12. expotum, exunctum, elotum *Trin.* II. 4, 5. enixe expeto *ibid.* III. 2, 26. exempla in te edent *Eunuch.* V. 6, 21. Exsul — exspes, expers, Attius. excessit, evasit, erupit: Cicero. exiliter exanimata exire, *Id. de Orat.* III. c. 11. annotatum *Vavassori l. l.* Verum ibi nunc rectius *animata* legitur.

eccum exit, eccum egreditur, eccam egreditur, ecce egreditur, egrediuntur, tam frequens apud utrumque *Comicum*, ut pigeat locos adscribere. eccos exeunt *Mil.* IV. 7, 27. ecquis intus exit *Truc.* II. 1, 43.

Equidem ecaster *Amphitr.* II. 2, 98.

Rara etiam in *i* littera, sed frequentissima in compositis cum praepositione *in*.

ingrata — atque irrita *Amphitr.* I. 1, 29. Ingrata atque irrita *Asin.* I. 2, 10. integrae atque imperitae huic impercito *Cas.* IV. 4, 11. 12. impense improbus *Epid.* IV. 1, 39. iracundo animo, indomito, incogitato, — Incredibilis, imosque animi, inamabilis, illepidus *Bacch.* IV. 3, 1. 3. inimicis — atque iratis *Mil.* II. 3, 43. inimici atque irati *Trin.* I. 2, 9. indoctae, immemori, insipienti *Pers.* II. 1, 1. Impure, inhoneste, iniure, illex *ibid.* III. 3, 4. indecore, inique, immodeste *Rud.* I. 3, 10. impudens, impurus, inverecundissimus *ibid.* III. 2, 38. indoles industriae *Trin.* II. 2, 42. alia alibi. Terentius nullum exemplum ita cumulatae voculae, ut *Bacch.* IV. 3, 1. 3. reperitur, et verba ea, quae faciunt allitterationem aliquoties eleganter diremta atque interpellata aliis verbis habet, ut: Sine invidia laudem invenias *Andr.* I. 1, 39. Inscitum offerre iniuriam tibi inmerenti, iniquom est *Hecyr.* V. 1, 14. Loquarne? incendam: taceam? instigem: *Phorm.* I. 4, 9. Invenitur tamen etiam in continuis verbis allitteratio, ut: in ignem inpositast *Andr.* I. 1, 102. quae restitutio *Bentleiana* etiam ab allitteratione commendationem habet. in ignem inii-

cere *ibid.* 113. *inventi invito patre ibid.* V. 3, 20. *inpone: impera ibid.* 26. *Inventor, inceptor, perfector Eun.* V. 8, 5. *ubi etiam animadvertendum homoeoteleuton est; cf. Heautont.* IV. 6, 7. *initium ullum invenire idoneum Hecyr.* III. 3, 1. *cf. V.* 3, 23. *inpulsus ira - insistas ibid.* III. 5, 34. *ira impulsus - in illam iniquos sim 35. alibi. iuga Invicta, indomita, infrenia, iniugalia: H. Grotii coniectura haud inepta in loco Ennii ap. Nonium p. 407, 22. implicitus — inque peditus Lucret.* IV. 1142. *cf. VI.* 393.

*intus illic in illac hirnea Amphitr.* I. 1, 275.

*illum in ius iube ire Mostell.* V. 1, 40.

*oculi illi ilico Eunuch.* IV. 6, 2.

*oro, obsecro Amphitr.* III. 2, 42. *Rud.* III. 6, 44. *orans, obsecrans Adolph.* III. 4, 26. *orat obsecratque Capt.* III. 2, 12. *orare atque obsecrare Mil.* IV. 1, 24. *Obsecro — oroque Merc.* I. 2, 58. *obsecro — Obtestor, oro Atul.* IV. 9, 45. *obviam obsistat Amphitr.* III. 4, 2. *obstiterit obviam Capt.* IV. 2, 11. *obstabit obviam Stich.* II. 1, 14. *opportuneque obviam Mil.* III. 3, 24. *oppido opportune te obstulisti mi obviam Adolph.* III. 2, 24. *oppido occidimus omnes Mostell.* III. 2, 44. *oppido obsepta Pseud.* I. 5, 10. *opes oppido Rud.* I. 3, 25. *opportune te mihi offers Andr.* IV. 2, 3. *opportune te offers Hecyr.* V. 3, 10. *occluso atque obsignato Epid.* II. 3, 3. *nec obsignatum, nec oclusum: ap. Ciceronem de Orat.* II. 61. *obtineteque ordinem Amphitr.* I. 1, 86. *osa sum obtuerier ibid.* III. 2, 19. *Occidam, oppetamque Capt.* III. 3, 11. *obtinendi optio est Cas.* II. 2, 16. *esse oportere obsequentem Mostell.* I. 3, 47. *ob oculos obiciemus Mil.* II. 1, 70. *optumam occupavit Trin.* V. 2, 11. *obnixie omnia Andr.* I. 1, 134. *oscitantis opprimi ibid.* I. 2, 10. *obstinate dat operam ibid.* I. 5, 8. *ostio obdo Eunuch.* III. 5, 55. *obsera ostium ibid.* IV. 6, 25. *operuere ostium Heautont.* V. 1, 53. *opus est (sit), obsequi ibid.* III. 3,

17. orare occipit Heeyr. I. 2, 41. Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obagitant : Ennius Satir. II. ap. Nonium p. 147, 10.

tanto opere orabat Cas. III. 2, 2. maxumo Opere orare Mostell. II. 1, 73. 4. orare iussit opere maximo ibid. III. 2, 65. opere oravit maxumo Mil. I. 1, 75. maxumo Te orabat opere Eunuch. III. 3, 26. 7. nimio opere sumat operam Curc. IV. 1, 7. maxumo Me obsecravisti opere Cas. V. 4, 14. 5. tanto opere ire oppugnatum Bacch. V. 2, 52. opere maxumo dabamus operam Phorm. V. 1, 35. opus opera, opera opus, Mil. III. 1, 171. Poen. V. 2, 127. Trin. II. 2, 86. Andr. IV. 3, 23. Quod in opere faciundo operae Heautont. I. 1, 21. operam optumam Rud. III. 6, 11. opiparas opera tua Poen. I. 1, 4.

oleum et operam Poen. I. 2, 119.

oculos orationemque Mil. II. 3, 56. 6, 81. 2. in occipitio — oculos Aulul. I. 1, 25. ora omnium atque oculos Cicero pro Mil. 16. omnium vestrum ora atque oculos Id. Catil. IV. 1.

oportet opitulari Cas. II. 3, 45. opta ocuis Rud. III. 6. 14.

Maximas opimitates opiparasque offers Capt. IV. 1, 2. opime atque opipare Bacch. III. 1, 6. ornamentis, opiparisque obsoniis Mil. II. 1, 29. obsonatorem optumum ibid. III. 1, 73. obsonatum — opulentum obsonium Bacch. I. 1, 63.

ex ore orationem Merc. I. 2, 64. et Ennius ap. Sos. Charis. II. 178. ap. Nonium p. 512, 7. nisi hoc inter lusus referre malis. uno ore omnes omnia Andr. I. 1, 69. quo ore - obiurgabis Phorm. V. 9, 53.

omnes omnia optata afferant Capt. II. 2, 105. omnia omnes semper optata offerant Adelph. V. 9, 21.

os occillet Amphitr. I. 1, 28. os oblitum Curc. IV. 4, 33. os obturent Stich. I. 2, 57. Quo etiam pertinent illa : Exosatum os esse oportet Amphitr. I. 1, 162. os exossas ibid. 186. Et in his quidem neminem latere allitteratio potest, quum accedat paronomasia : luditur enim in *os*, *oris*, et *os*, *ossis*. Quemadmodum Dousa in Amphitr. I. 1, 28. volebat : os ossillet.

Alia multa latuere multos, et nunc latent haud dubie, nisi qui probe assuetas artificio allitterationis aures habeat, ut: exornatis ossibus Trucul. II. 2, 15. quasi germanice dicas, sed sensu alio, et allitteratione fortiori: mit durchgekneteten Knochen.

omni omnes Epid. III. 3, 16. Verum neque illud de nihilo est, quod tam saepe *hominum omnium*, vel etiam *omnium hominum* legitur apud utrumque Comicum: Mostell. I. 4, 27. III. 1, 65. Poen. V. 4, 15. Trin. V. 1, 1. Trucul. II. 7, 33. Andr. I. 1, 50. I. Adolph. II. 2, 10. Phorm. V. 6, 15. *omnes homines* Cistell. II. 1, 3. V. 1. Trucul. V. 40. Eunuch. III. 2, 36. 7. *hominem - omnium* Mil. II. 6, 75. Etsi haec iam non primarum syllabarum, sed vocum allitteratio est. Conferantur *nemo homo*, *homini nemini*: sed haec aptiorem locum infra invenient in III. Rutilius Lupus I. 5. hoc proponit tamquam paronomasiam, *Nam cum omnibus hominibus, tum maxime maximo cuique inconstantia turpitudini est*: fortasse etiam propter illud *omnibus hominibus*. *Omnes homines, Omnis homines* Sallust. Catil. I. et 51, 1. *homines omnes* Varro ap. Nonium p. 333, 25.

In *u* littera haec annotavi paucissima exempla:

usuraria Uxore Amphitr. III. 3, 25. 6. unquam usurpavi Trin. IV. 2, 4. utcumque, ubicumque Heautont. III. 3, 17. Quae non multum probant. Haec autem: unice unum Bacch. II. 2, 29. Trucul. I. 2, 91. unice unicum (?) Bacch. III. 3, 3. non ad allitterationem simplicem pertinent, sed ad illud genus, quod ludit in vocabulis cognatis, de quo supra p. 329. sq. Ex Virgilio huc pertinet, scite a Pontano 129. b. observatum, *exuberat umbra* Georg. I. 191.

Iam in consonantibus allitterationis exempla innumera. Nos specimina, non collectionem, damus ex fabulis Plauti Terentiique omnibus. Sed damus quantum satis, vel nimium,

ut nonnullis videbitur. Qui velim cogitent, esse hanc quaestionem ex iis, in quibus vix mereare fidem, nisi multis rem exemplis geras. Selegi autem ea potissimum, quae inprimis frequentata viderem, et maxime in dictionibus iisdem; tum eos locos, ubi ter, quater, fit allitteratio in eadem littera. Raram in *b, g, n* litteris allitterationem repperi, non quod minus fuerit grata his in litteris allitteratio, sed hac simplici de causa, ut puto, quod vocabulorum a *b, g, n* incipientium minor est numerus quam eorum, quae a *c, l, m, p, s, v* incipiunt. Terentius aliquanto magis modicus in allitteratione quam Plautus: est illa tamen etiam apud Terentium multa.

Cum boletis, cum bulbis: Curc. V. 2, 14. Lusus in voce *bolis*, quae est vs. 13.

bardi, blenni, buccones Bacch. V. 1, 2.

bucculentum, breviculum Merc. III. 4, 54.

brassicam, betam, blitum Pseud. III. 2, 26.

bis bibisse Bacch. IV. 4, 107.

bene et benigne Poen. III. 2, 12. benignusne an bonae frugis Truc. I. 1, 13. 20. Sed hoc magis ad superiorem disputationem p. 529. sq. pertinet, quum cognata sint *bonus* et *benignus*.

blande dicere, aut benigne facere Adolph. V. 4, 24.

bene ac beate Catullus 14, 10. 23, 15. Observat Ach. Statius, sic saepe Ciceronem loqui, *bene, ac beate vivere*.

bipedem, bliteam beluam Laberius ap. Nonium p. 80, 26.

Cano capite te cuculum Asin. V. 2, 84. Cano capite, — coaddito ad compendium Cas. III. 1, 4. Cano capite Bacch. V. 1, 15. canis capitibus ibid. Grex. capite cano Merc. II. 2, 54. capite candido Most. V. 2, 27. capitis canitudinem Fragm. ap. Fest. v. Canitudinem. caro capite, carum caput Capt. II. 1, 37.

34. Capite compto Mil. III. 1, 197. Frustra caussam quaeras, cur non potuerint *album caput*, *albos capillos*, dicere. Et vero dixerunt: *albus capillus* Mil. III. 1, 37. *capitis albitudinem* Trin. IV. 2, 52. Sed maluerunt *canum caput*, *canos capillos*. Contra *barbam* Plautus loco infra proferendo maluit *albam*, quam *candidam*.

Capiam coronam mi in caput Amph. III. 4, 16. coronam de capite, e Capitolio, Quod in culmine Trin. I. 2, 47. 8. capite calvus capiam Amph. I. 1, 306. quassanti capite Asin. II. 5, 23. capitibus quassantibus Bacch. II. 3, 71. quassat caput Merc. III. 4, 15. caput colorem commutavit Most. I. 3, 44. cruribus capitique fraudem capitalem - creas Mil. II. 3, 23. caput et corpus copulas Poen. I. 2, 130. Cassidem in caput Trin. III. 2, 100. capiti comitia Truc. IV. 3, 45.

Cubat complexus, cuius cupiens Amph. prol. 130.

clam consuetum cubitibus ibid. V. 1, 70.

Chaeream, Chaeostratum, Cliniam, Chremem, Cratinum, Asin. V. 2, 15. 6.

Colaphe, Cordalio, Corax Capt. III. 4, 124.

crassas capiat compedes ibid. III. 5, 64. cf. 76.

in cursu capite, aut cubito Curc. II. 3, 3.

corbitam cibi Comesse Cas. IV. 1, 20. 1.

Conspicillo(?) consecutust clanculum Cist. I. 1, 93.

senatum convocabo in corde consiliarium Epid. I. 2, 56.

senatum consili in cor convoco Most. III. 1, 158. corde consultare Truc. II. 1, 15. corde consilia Phorm. II. 2, 7.

calidi conducibilis consili Epid. II. 2, 71. cedo calidum consilium cito Mil. II. 2, 71.

Capimus consilium continuo Bacch. II. 3, 66.

Canes capro commista Most. I. 1, 40.

capillus satis compositust commode ibid. I. 3, 97. cf. 98.

cito cantharum circum ibid. I. 4, 33. cyathum et cantharum Pseud. IV. 2, 2.

cor corpusque cruciat Mil. III. 1, 23. cor corpusque ib.

188. *Lapit cor cura, aerumna corpus conficit* : Pacuvius Periboea ap. Nonium p. 23, 8.

compellare, et complecti, et contrectare Mil. IV. 2, 61.

Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum, Merc. III. 4, 61.

cludam, crassam, Chrysidem Pseud. II. 2, 64.

cottabi crebri crepent Trin. IV. 3, 4. quam cribrum, cre-

brius Rud. I. 2, 14. hoc posterius cum paronomasia.

Cerconicus, Crinus, Cercobolus, Collabus Trin. IV. 3, 13.

compositos, crispus cincinnos Truc. II. 2, 32. crispus, cincinnatus Capt. III. 4, 115.

consilia consequi consimilia Heaut. I. 2, 35.

copiam Cotidianae vitae consuetudinem ib. II. 3, 41. 2.

crispus, crassus, caesius Hec. III. 4, 26.

cape, caede, Lyde, come, conde : Atilius ap. Varr. L. L. p. 79.

crepitu clangente cachinnat Attius ap. Non. p. 463, 16.

Ubi bis fit allitteratio, loci permulti. complebantur corpora Amph. I. 1, 95. contra colloqui ibid. 183. contra conferam Epid. IV. 1, 20. contra conserta Mil. I. 1, 5. contra conservo ibid. II. 2, 43. auro contra constat Truc. II. 6, 57. comes consequatur Amph. II. 2, 5. culpam conferas ibid. 156. corpus corpore Contigit ibid. 203. 4. Clades calamitasque Capt. IV. 4, 3. cibatus commeatusque Mil. II. 2, 69. capite - cadum Mil. III. 2, 36. casabant cadi ib. 37. 42. cito et cursim Poen. III. 1, 64. clarus clamor ibid. V. 3, 27. cogitate et commode ibid. V. 4, 51. commoditatis copiam Pers. II. 3, 3. cata est et callida ibid. IV. 4, 70. confidens, catus Andr. V. 2, 14. cogitare commode Heautont. prol. 14. coguntur copiae ibid. IV. 2, 2. commisi et credidi ibid. V. 2, 15. cura ex corde excessit Hecyr. III. 2, 12. certa et clara ibid. V. 4, 1. vel etiam ut bis sit *con con* - concordiam coniugis; continuo consequi, continuo contonat Amph. I. 2, 13. III. 1, 20. V. 1, 42. ad congerones conferam Most. III. 3, 127. congerronum convocem ib. V. 1, 8. convenire et conloqui, commendo et committo, Eun.

III. 2, 14. V. 2, 47. Communis corruptela Adelph. V. 3, 7. comprehendunt — conque gregantur Lucret. VI. 455.

Captat etiam alliterationem Plautus, quum nova ludens facit vocabula : cruricrepidæ Trin. IV. 3, 14. Cf. in *p plagi-patidas*.

Denique addam talia, qualia paulo ante vidimus, *os ex-ossas, exuberat umbra* :

voce clara exclamat Amph. V. 1, 68. ut Poen. V. 3, 27. clarus clamor.

incensurum censes Capt. IV. 2, 65. verum ibi accedit lusus in similitudine verbi *incendere*, et verbi *censere*.

Haec quidem ecastor cotidie Cist. I. 1, 45. ecastor cassæ ibid. IV. 1, 16.

conclusa clanculum Bacch. III. 1, 8. quadruplex allitteratio, c cl c c. confestim clanculum Trin. III. 3, 69.

copiam eccam Chrysalum Bacch. IV. 3, 25. triplex allitteratio, bis in primis litteris, semel in medio.

corculum carbunculus Most. IV. 2, 70. c cul c cul.

exordem, coecum, incogitabilem Mil. II. 6, 63.

incassum cadunt Poen. I. 2, 147.

cunis, incunabulis Truc. V. 13. Sed hoc refer ad pag. 329.

cura ex corde excessit Hec. III. 2, 12.

*di deaeque* Plautus multis locis, et Terentius Hec. I. 2, 27. 59. At Terentio praeterea *di deae*, asyndeton, usitatum est, quod non invenio apud Plautum : Eun. II. 3, 11. Heaut. IV. 6, 6. Phorm. IV. 4, 6. Phormionis locus similis Plautino Cist. II. 1, 36.

*di deaeque* - duint Most. III. 1, 126. idemque versus Phorm. V. 8, 85. *Di deaeque* - dent Poen. III. 3, 54. Catull. 28, 14. 5. *di danunt* Pseud. III. 1, 1. Rud. IV. 7, 3. *di duint, di dent, di dabunt, di dant, di date, datis di*, aliis locis, quos non

enumero. indigna indignis di darent Poen. V. 4, 82. di dignum -  
duint Andr. IV. 1, 42. di - id quod es dignus duint Phorm. III.  
2, 34.

di deaeque perduint Curc. V. 3, 42. di -- omnes deaeque,  
quantum est, perduint Aul. IV. 10, 55. omnes di deae quan-  
tumst -- perduint Heaut. IV. 6, 6. 7. di omnes perduint Asin.  
II. 4, 61.

Diespiter te dique - perdant Capt. IV. 4, 1.

quem di diligunt Bacch. IV. 7, 18. quem diligunt di Andr.  
V. 6, 9. ab dis solus diligere Phorm. V. 6, 14.

Di divites sunt, deos decent opulentiae Trin. II. 4, 89.  
di me divitant Turpilius ap. Nonium p. 95, 10. divitior - di-  
thyrambus Cic. de Orat. III. 48.

Tu dis nec recte dicis Bacch. I. 2, 11.

dis dignumst Trin. IV. 1, 12. Digna diva - Venere Poen.  
V. 4, 4.

Di tibi, Demea Adolph. V. 9, 21.

dignum est divitias esse, et diu vitam dari Mil. III. 1, 129.  
eleganti interpellatione. Sic placebat, nunc ut continuo fie-  
ret allitteratio, nunc ut temperaretur interpellatione.

dites damnare atque domare Trin. IV. 1, 10. dis quidem  
esses, Demea Adolph. V. 1, 8.

dotem duco esse, quae dos dicitur Amph. II. 2, 209.

duplici damno dominos mutant Cas. III. 6, 3.

partes diu etiam duras dabit Heaut. II. 4, 22.

dicēs, ducent damnatum domum Phorm. II. 2, 20. *ducere*  
*domum*, de uxore, tam usitatum, ut ridiculum sit, velle  
exempla afferre. Verum ne hoc quidem tam usitatum esset,  
ut mihi videtur, nisi placuisset auribus omnium *d d.*

diem dicam Capt. III. 1, 54.

Dici, diem adimere Heaut. III. 1, 13.

dicam delatum et datum Mil. III. 1, 205.

didici dicere Amph. II. 2, 55. quae didici, dixi Epid. IV. 2, 21.  
doctus et dicax Cas. III. 1, 15. domi (domo) - docta dictita

Truc. II. 5, 4. Cf. Goeller. ad II. 4, 89. Acidalius in Poenul. cap. 2. dicta docta pro datis Asin. III. 1, 22. Dictum - doctum, et discaveas Men. II. 1, 24. docta dicta Trin. II. 2, 99. doctis dictis Ennius Annal. VIII. Lucretius V. 114. Virgilius: docta dicta Scironis. dicta dulcia datis Truc. I. 2, 78. dictis ducere Andr. 7. 1, 20. E quibus illa, *dictum doctum, docta dicta*, etiam ad hoc genus, quod apud nos III. est, et ad homoeoteleuton pertinent.

dicis dignius Bacch. I. 1, 7. dignum te dici Hec. II. 1, 12.

dicam dolo Trin. I. 2, 53. II. 4, 79.

ductavit dolis Capt. III. 4, 109. ductarent dolis ibid. III. 5, 97. doctis ducam dolis Pers. IV. 3, 11. doctis dolis, doctum dolum, doctos dolos, Mil. II. 1, 69. 2, 93. Pseud. I. 5, 70. 113. cf. IV. 1, 31. 7, 63. 108.

dolum dolamus Mil. III. 3, 64. Quo dolo - dolorem - pel-lerem Most. III. 2, 27. Sed haec magis paronomasia est, vel lusus in verbis, non simplex allitteratio.

Domi dolos, domi delenifica Mil. II. 2, 37.

domi duellique Asin. III. 2, 13. Domi bellique duellatores Capt. prol. 68. ubi *duelli* scribendum videtur ex loco Asinariae.

Domi domitus Men. I. 1, 29. domi domitos Lucret. V. 1533. observata Lambino.

ad dominum domum Trin. IV. 3, 1.

duc ac demonstra Cist. II. 3, 36.

distendite - divorsum, et dispennite Mil. V. 14. Distractio, discidium Pseud. I. 1, 68. Distraxissent, disque tulissent Trin. IV. 1, 14. disiectis, disque supatis Lucret. I. 652. Divortium et discordiam Trucul. II. 4, 66. Disperge hostis, distrahe, duc, divide, differ: Ennius ap. Merulam p. 354.

damnum dabis Cistell. I. 1, 108. damnum dari Trucul. II. 1, 17. damnum in Epidamno duis Men. II. 1, 42. quo loco accedit paronomasia.

sine damno et dispendio Poen. I. 1, 35.

deruncinatus, deartuatus Capt. III. 4, 108. Delaceravisti, deartuavistique ibid. III. 5, 14.

Deceptus - at non defetigatus Andr. IV. 1, 45. defatigor, differor Epid. I. 2, 15.

pro deridiculo ac delectamento Heaut. V. 1, 79.

docte et diligenter Capt. II. 1, 30.

doctum atque eductum Andr. I. 5, 39. docere, educere Eun. I. 2, 37.

effregisti, fatue, foribus Amph. IV. 2, 6. cf. ibid. 2. frangas fores ibid. IV. 1, 11. feriam foris Cist. IV. 2, 20. foris formido Bacch. IV. 2, 4. Fores pene effregisti Truc. II. 7, 5. foras - ferri ibid. IV. 2, 37. ferri foras Eunuch. II. 2, 53. forem - fortunatus festivae fores Curc. I. 1, 88. e fano foras ibid. II. 1, 1.

faciam ferventem flagris Amph. IV. 2, 10.

infamia fecisti gerulifigulos flagiti Bacch. III. 1, 14. quater *f.*

facietis fabulae Amph. prol. 15. quod factum est fabulor ibid. II. 2, 66. faciamus fabulam Cas. V. 4, 27. stulte facere, et stulte fabularier Trin. II. 4, 60. fabulas factas Eun. prol. 33. foenus fabularier Most. III. 1, 77. falsa fabuler Epid. V. 1, 38.

fame familia pereat Cist. I. 1, 47. fauces fame Curc. II. 3, 39. famulo familia Mil. II. 3, 80. fundis, familiis Pers. IV. 4, 17. famam familiae Trin. II. 2, 98. fortem familiam ibid. V. 2, 9. fautrix familiae Eun. V. 8, 22.

finxisse falsi quicquam Eun. I. 2, 120. falsum - ac fictum ibid. 24. fingeret fallacias Heaut. III. 2, 22. fabricam fingit ibid. 34. Confingis falsas Hec. IV. 4, 71. fabre facta Cas. V. 1, 8. Quot - fabricas, quot fallacias Cist. II. 2, 5. fabricam facit Epid. V. 2, 25. facetis fabricis Mil. II. 1, 69. facta - fal-

lacias ibid. II. 2, 37. fabricam fallaciasque ib. III. 3, 2. fingit fortunam Trin. II. 2, 84. Facite, fingite, — efficite Andr. II. 1, 34.

faciam ut hic formicae frustillatim differant Curc. IV. 4, 20. facere uti fluat facetiis Mil. IV. 8, 12.

fartum facere Mil. I. 1, 8.

fur trifurcifer Aul. II. 4, 47. furem ac fugitivum Poen. IV. 2, 10. furax, fugax Pers. III. 3, 6. fugam aut furtum Phorm. I. 4, 14.

nil ferentem, flentem Phorm. III. 2, 36. Sed hoc magis memorabile est propter homoeoteleuton.

fretus tua, Fides, fiducia Aul. III. 6, 50. fides firma Capt. V. 1, 6. firma fide Mil. IV. 2, 24. firmatam fidem ibid. II. 5, 43. neque factis, neque fide Capt. II. 3, 45.

Fac fidelis (fidele) sis fideli: cave fidem fluxam geras Capt. II. 3, 79. referendum etiam ad pag. 529. sq.

festivitatem, ferias Capt. IV. 1, 3. festivitatem et facilitatem Eun. V. 8, 18.

foveri focus ferventibus Capt. IV. 2, 67.

aquam ferventem, frigidam Curc. IV. 2, 25.

fatui, fungi Bacch. V. 1, 2.

flagiti flagrantia Rud. III. 4, 28.

fabulis, ficulis Stich. V. 4, 8.

famosum flagitiis facit Fragm. Asinar. ap. Non. p. 305, 28.

facta et famam Bacch. I. 1, 30. famae et factis Rud. IV. 2, 30. Fortem atque fortunatum, et forma regia Mil. I. 1, 10. forma et factis ibid. I. 1, 57. IV. 2, 30, 51. fere-forma et factis facit Caecilius ap. Gell. II. 23. sed hoc suspectum. formam et faciem Mil. IV. 2, 37. cf. IV. 4, 36. forma - ferox Mil. IV. 9, 13.

famam ac fortunas Cicero Verrin. Act. II. II. 23. fama atque fortunis expertes Sallustius Catil. 23, 1. ubi conferatur laudatus Cortio Cicero in Pison. fama atque fortuna pares Sallust. Catil. 51, 12.

Quod fors feret Phorm. I. 2, 88. ferat fors Lucret. III. 996.

fortis fortuna adiuvat Phorm. I. 4, 25. sed hoc etiam in verbis ludit.

fingit, format, flectit : Cicero Brut. c. 38.

Fundit, fugat, prosternit, in versu saturnio ap. Atilium Fortunat. 2680. fusi fugatique, fusa — in fugam, Livius III. 67, 5. V. 32, 3. et omnes.

flecti quam frangi; frangi, non flecti: Livius II. 23. extr. Broukhus. in Tibull. I. 9, 71. nec frangi, nec findi Lucret. I. 534. aut fragile, aut flexibile, Cicero pro Milone c. 16.

Post Auli foedus exercitusque nostri foedam fugam: Sallustius Jug. 43. ubi, etsi *foeda fuga* bene atque usitate dicitur, displicet tamen, et lusus non satis Sallustio, si ludere Sallustius voluerit, dignus est, *foedus* — *foedam*.

Fraxinus frangitur Ennius Annal. VI. de quo bene Columna ad eum locum, et in Vita Ennii pag. 9.

Fraxinus fissa (fixa) ferox infensa infinditur ossis : Attius Annalib. ap. Priscian. VI. 710.

fucum factum Eun. III. 5, 41.

flocci facio, flocci non facio, multis locis, quos habet Pareus in Lexico Plautino, Qui addit Ciceronis locum. flocci fecerim Eunuch. II. 3, 12. Habet tamen hanc sententiam Plautus etiam sine allitteratione: flocci aestimo Fragm. ap. Fest. v. Muneralis : cf. Most. I. 1, 73. flocci pendo Fragm. ap. Fulgent. v. Flocci : cf. Eun. III. 1, 21. Et alicubi : flocco (?) habebit.

Bona, fausta, felix, fortunataque evenat Trin. I. 2, 3. o faustum et felicem diem Andr. V. 4, 53. Ennius p. 39. ed. Hessel. Se fortunatim, feliciter, ac bene vortat. ubi conferantur Columnae laudati Livius, Varro, Cicero.

Gerrae germanae Poen. I. 1, 9.

grandibo gradum Aulul. I. 1, 10. Grandiorem gradum Curc. I. 2, 25. gradibus grandibus Epid. I. 1, 11. grandi gradu Trucul. II. 2, 31. Elegans allitteratio, quae non con-

sistit in primis litteris, et in prima syllaba. Iam vidimus similia aliis in litteris, Gradus grandit Merc. IV. 5, 16. ve- grandi gradu Fragm. Clitell. ap. Festum v. Vegrande. Scio quid de Clitellaria fabula Nonius p. 70. dubitet, et suspectos esse versus istos in Mercat. IV. 5. At ea dubitatio nos non attinet, quum ad hanc quaestionem, quae est de allitteratione, etiam suppositae Plauto fabulae, vel scenae, modo non sint ab hominibus aevi recentissimi suppositae, valeant. grassari gradu Poen. III. 1, 11. grandior gressio Pacuv. Paullo ap. Macrob. VI. 5. Nisi praeferendum, quod ap. Priscian. lib. VI. init. legitur, *gradibilis gressio*. et tum hoc addendum erit ad superius disputata p. 329.

gutturum gaudium Curc. I. 2, 10.

grave et gratum Pers. IV. 5, 3. gratum et grave Attius ap. Nonium p. 315, 21.

gratia - gravis Capt. II. 2, 108.

grandem gratiam Curc. III. 35.

Gloriam et gratiam Trin. II. 1, 36. Hoc quoque fortius sonat, accedente ad allitterationem in primis litteris homoeoteleuto. Sed hoc sponte quisque animadvertet. gratiae gloriaeque, et gratia et gloria, Cicero Epist. ad Plancum X. 5, 9. 19, 4.

gallus gallinaceus Aul. III. 4, 6. 13. Varro ap. Non. p. 176, 32. hühnerhahn. Sed hoc debet supra apponere p. 329.

Grundibat graviter pecus suillum; Claudius Annal. XV. ap. Diomedem I. 379. ap. Nonium p. 465, 2. Cf. ibid. Caecilium: cruento — grundibat.

Non omnis aetas, *Lyde*, *ludo* convenit. Bacch. I. 2, 21. ubi Lambinus: *Inest autem hic paronomasia non illepada, Lyde ludo. Eodem enim modo pronunciantur, Lydus, et ludus.* Allitterationem esse certum est: paronomasiam non dixerim. At apud Valerium Catonem paronomasiam statuas haud inepte,

illo versu: vobis mea *Lydia ludit*. Ut hoc obversetur Catonini, quum *ludat Lydia*, congruenter nomini suo facere. Aptus hic locus est, in quo aliquis discat, quid inter paronomasiam et allitterationem differat. Veluti certa paronomasiae in nominibus propriis exempla haec sunt: *Linus, Lydus*, in Bacchid. eadem scena illa vs. 47. et in nomine Chrysalis: ibid. II. 3, 6. est opus *chryso Chrysalis*. et 128. *Crucisalum* me ex *Chrysalis*. et IV. 4, 36. in *cruciatum Chrysalum*. et in nomine Sceledri, Mil. II. 3, 18. quod ego, *Sceledre, scelus* ibid. 59. quae te *Sceledre, scelera* suscitant. ib. II. 6, 14. *Sceledre*, hic *scelerum* caput. et notum illud, *Poeni poenas* sufferant Cist. I. 3, 54. et hoc: nomen *Archidemidis* Clamaret, *dempturum* esse, Bacch. II. 3, 50. 1. cui simile dictum Pareus in Electis Plautinis p. 457. habet, e Cicerone notum, de Verre. Quae omnia in significatione, quam nomen proprium. aut habet, aut habere videtur, ad significationem alterius verbi relata ludent. Verum Comici, obsequentes, ut puto, communi sermonis latini consuetudini, etiam ubi nullum ex significatione nominis proprii acumen quaeritur, nullo nisi soni amore ducti, similem nomini proprio apponere sonum solent. Quare huc refero *Lyde ludo*, et, quae fortasse nemo animadverteret, nisi illud satis perspicuum, *Lyde ludo*, lucem praeferret, ex eadem fabula, Bacchidibus, I. 2, 58. *Lyde, libertas* III. 3, 12. Paulisper, *Lyde*, est *libido*. Quin etiam hoc, III. 3, 4. *Lyde leniter*. *Libane, liberis* Asin. I. 1, 49. *trado, Tranio* Most. II. 1, 59. *dis - Demea*; *Di - Demea*: quae paullo ante in *d* littera protuli; et quae infra in *s*, in nominibus *Sosiam, Sumanos, Sostrata, Sophrona, Sunium*; et in *p*, in nomine *Pergamma*. Quae allitterationem manifestam, paronomasiam, nisi quis argutari, supra quam licet, voluerit, nullam habent.

laudem et lauream Cistell. I. 3, 53. Cicero versu, qui tum apud ipsum Ciceronem, tum apud Quintilianum XI. 1, 24. et in Declamatione Sallust. exstat: concedat *laurea laudi*. Quibus ibi *laurea linguae* placet, ii et ipsi allitteratio-

nem habent, minus fortem quidem, sed tamen allitterationem. Cicero Epist. ad M. Caton. XV. 6. quam *lauream* cum tua *laudatione* conferrem. Caeterum haec iam propiora paronomasiae.

Laudem, lucrum, ludum, Capt. IV. 1, 3.

Laetus lubens laudes ago Trin. IV. 1, 2. Naevius: Laetus sum laudari me abs te, pater, a laudato viro. Ennius Sat. ap. Donatum in Phorm. II. 2, 25. laetus lautus. laudes lautas Mil. II. 5, 1. vel, lautas laudes. laude lauti Fragm. Parasit. pig. lautus luces Curcul. I. 1, 9. lepida et lauta Poen. V. 4, 27. lepide, laute Eun. III. 1, 37. lepide — et laute ludificari Mil. IV. 4, 25. laetitia lubentiaque Stich. II. 1, 3.

lepdatum et lenem Cas. II. 3, 7. lepide - lenitum Bacch. V. 2, 31. lepide ludificatus Cas. III. 2, 28. lepide ludificata Mil. III. 3, 53. forma lepida et liberali Epid. I. 1, 41. Mil. IV. 1, 20. Pers. I. 3, 50. Ut lepide, ut liberaliter Rud. II. 3, 77. lepide ligneus Bacch. IV. 9, 64.

lenius et liberalius Cicero Epist. ad Famil. VI. 10 (11). neque lenire — neque levare Idem ibid. 13 (14). levius ac lenius Id. ad Atticum XIII. 21. leniter et leviter Catull. 84, 8.

lapides loqueris Aul. II. 1, 30.

latomias lapidarias Capt. III. 5, 65.

locum loquendi Capt. II. 1, 18. locus loquendi Mil. III. 1, 9. Loquere, locus — libere Poen. IV. 2, 69. liber locust Pers. V. 2, 24. locus liber Stich. V. 2, 14. cf. Cas. III. 2, 5. 7. licet - libere - loqui Amph. I. 1, 257. loquendi libere Trin. IV. 2, 156. loquar libere Truc. II. 1, 2. nimis longum loquor Epid. V. 1, 58. Pers. I. 3, 87.

Loquere, — — non longos logos Men. V. 2, 29.

libera - lingua Cistell. I. 2, 19.

Libera lingua loquemur ludis Liberalibus Naevius ap. Festum v. Liberalia.

Liberi lepos Curcul. I. 2, 4. lepidus Liber ib. 21. liquido Libero Stich. V. 4, 18.

lactum lacris Amph. prol. 2.

labore lassitudo Capt. V. 4, 4. lassa labat Stich. IV. 1, 16.

laxis lactibus Curc. II. 3, 40.

latrinam lavat ibid. IV. 4, 24.

lumen linque Cistell. III. 12. volucres lino linquant lumina Naevius ap. Nonium p. 6, 19. Lumina qui linquunt moribundi Lucretius III. 541. linquebant lamentis lumina vitae Idem V. 987. Luce serenanti vitae lumina liquit Cicero de suo Consul. lib. II. Hic situs est vitae iampridem lumina linquens Idem lib. II. de Gloria, ex Homero. Quos locos iam congestos maximam partem ab H. Columna, sed alium in finem, video, ad versum Ennii p. 53. Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.

lambus ille mihi laedit latus Bacch. II. 3, 47. latera lacerentur ibid. IV. 6, 10. lora laedunt brachia Truc. IV. 3, 9. nec lactem, nec lanam Bacch. V. 2, 16.

lubet licetque Most. I. 1, 19. licet - lubet Trin. IV. 3, 25. ut lubet, ludas licet Phorm. II. 2, 33.

lacrimae, lamentatio Merc. V. 2, 29.

Lubido est ludos Pseud. I. 5, 139. Delude ut lubet Pers. V. 2, 30.

labitur, liquitur Trin. II. 1, 17.

limaces lividae Fragm. Clitell.

Neque muneralem legem, neque lenoniam Fragm. ap. Festum v. Muneralis.

luxuria et lascivia Heaut. V. 1, 72.

laterem lavem Phorm. I. 4, 9.

lutum, lupanar Catull. 42, 13.

late longeque Naevius Lycurgo ap. Nonium p. 503, 19. late est alteque videndum, Et longe — despiciendum Lucret. VI. 647, 8.

magnum malum Amph. II. 2, 89. Asin. V. 2, 86. Curc. II.

2, 21. Cas. II. 6, 50, 8, 69. Most. II. 2, 96. Merc. III. 4, 58. Rud. I. 2, 20. III. 5, 14. Trin. IV. 3, 55. Truc. IV. 3, 40. Eun. III. 5, 2. V. 4, 46. 5, 27. Adolph. III. 4, 64. Hecyr. III. 1, 59. 55. Phorm. I. 4, 16. Unde explicandus lusus Terentii Phorm. IV. 3, 58. 9. G. *si quis daret Talentum* magnum. D. *immo* malum *hercle*. Alius lusus in Merc. III. 4, 58. Et plerumque quidem verbum *dare* adiunctum est, sed etiam alia; ut *habebis*, *coenabis*, al. malum magnum Bacch. IV. 9, 76. V. 2, 53. Pers. V. 2, 36. Est etiam ubi graece effert Plautus tam pervulgatum proverbium: dabo *μέγα κακόν*, Cas. III. 6, 9. Meruisse me maximum fateor malum Mil. II. 6, 66. magni mali Poen. V. 5, 48.

cum malo magno tuo, suo, Aul. III. 2, 42. Cas. III. 3, 15. Rud. III. 2, 42. malo magno fuat Mil. II. 6, 12. sic haud dubie; noni *magno malo* *f.* sine tuo magno malo Andr. I. 2, 8. Malo maximo suo Cas. IV. 4, 6. maximo malo suo Rud. III. 4, 70.

malam rem magnam Bacch. V. 2, 23. cf. Truc. V. 45. malam rem magnam et maturam Pseud. I. 3, 5. malam rem magnam moribus Trin. IV. 3, 58. mala re magna mactari Most. I. 1, 58. magno mactassint malo Ennius Telepho ap. Nonium p. 342. Conf. ibidem Plautus Aul. III. 5, 61. et Afranius. in malam rem maxumam Epid. I. 1, 72. maxumam malam crucem Capt. III. 1, 9. Cas. III. 4, 21. Pers. III. 1, 24. Rud. II. 6, 34. Trin. II. 4, 197. Maximum in malum cruciatum Mil. II. 3, 8.

multa mala mihi Bacch. IV. 3, 14. mala multa Andr. IV. 1, 16. Catull. 14, 6.

maneat malum Most. I. 1, 47.

misere male mulcabere Bacch. IV. 9, 10. male me mulcet Most. IV. 2, 23. ad mortem male mulcassitis Mil. II. 2, 8. mulcari male Trin. IV. 2, 142. meam sic mulcatam male Truc. IV. 4, 3. Male mulcabo ipsam Eun. IV. 7, 4.

modicis mulctavit minis Pseud. IV. 7. 150. An mala aetate mavis male multari exemplis omnibus: Attius Amphitryone ap. Nonium p. 1. *mulcari* Mercerus, fortasse Lambini in

Plaut. Most. IV. 2, 23. auctoritate ; sed vid. Drakenborch. in Liv. III. 67, 5. Et *multari*, vel *mulctari*, fuit ante Mercerum, in Romana Georgii Laur, Parmensi 1480. aliis. *mala aetas*, male laise. ut alibi *aetatula* est bona aetas, aise. Cf. Cas. III. 6, 3.

male maceror Cist. I. 1, 61. misera maceror ib. 78. miseriae - misere macerant Pseud. I. 1, 2.

more maiorum Caterva Cistell. Merc. prol. 16. Trin. IV. 3, 24. Varro ap. Nonium p. 86, 21.

more - et modo Amph. I. 1, 66. Horatius : apis Matinae more modoque. modo et modestia Bacch. IV. 3, 2. more modesto ibid. IV. 10, 4. modo moratus Most. I. 4, 8. vel, ut Hermannus Elem. p. 213. modo morata. utimur maxime more moro Molestoque multum Men. IV. 2, 1. 2. mores morosi malos Poen. I. 2, 166. meo modo et moribus Trin. II. 2, 16. immodestis - moderere moribus Curc. I. 3, 44. Modice et modeste Pers. III. 1, 18. more moderari Coelius ad Cic. Epist. VIII. 5, 2.

magis modum in maiorem - concipiet metum Amph. I. 1, 145.

ferire malam male discit manus ibid. 159. sed ibi est etiam lusus in *mālam* et *male*, Cf. Merc. III. 4, 58.

morigera - munifica ibid. II. 2, 212. quo in exemplo multa sunt quae excitant aures, Primo allitteratio in *m* littera ; deinde syllabarum concentus mediarum *ri ni* ; denique homoeoteuton : quae tamen omnia non ita clare perciperentur, nisi *morigera* et *munifica* voces eodem syllabarum numero, eademque mensura essent.

male mihi morigerus Curc. I. 3, 13. Male morigerus mihi Epid. V. 1, 1.

Maudes : moriri sese misere mavolet Asin. I. 1, 108.

morae molestiaeque Aul. IV. 1, 2. malo et molestiae Curc. IV. 2, 15.

memorem mones Capt. I. 2, 88. Stich. IV. 1, 72. quae memini, mora mera est monerier Capt. II. 3, 36. Move-moram ibid. IV. 2, 10.

meritam mercedem Capt. V. 4, 23. manibus meritis me-  
ritam mercedem date Grex Casinae: magnas merito gratias  
Phorm. V. 8, 1.

Mihin malum minitare Curc. IV. 4, 15. malumi minita-  
mini Bacch. V. 2, 25. cf. Rud. III. 1, 15. Phorm. V. 6, 11.

Di me - magni minutique Cist. II. 1, 46.

mendaciprehendit manifestum modo Bacch. IV. 4, 45: Ma-  
nifestam mendaci, mala, te teneo Truc. I. 2, 30.

morbum et mortem Bacch. IV. 4, 80.

mamma, madere Most. I. 4, 7. vel, ut Hermannus Ele-  
ment. D. M. p. 213. mamamadere. Qui sane dignus Plauto  
lusus.

mali moeroris montem maximum - modo Most. II. 1, 5.

magnas machinas Mil. II. 1, 60. moveo machinas ib. III. 2, 1.

magna munis moenia Mil. II. 2, 75.

minimum qui misit mihi ibid. III. 1, 119.

magnus moechus mulierum ib. 180.

mundiciis, molliciis Pseud. I. 2, 40.

minus miserae memorantur Rud. I. 3, 1. miserum memo-  
ratu Cist. II. 1, 15.

miserum et mendicum Rud. II. 6, 1.

messem mali ibid. III. 2, 25. messor maxime Capt. III. 5, 3.

miserae ubi venit in mentem Mihi mortis, metus membra  
occupat edepol Rud. III. 3, 25. 4. Transponunt, recte haud  
dubie: *occupat edepol metus membra*. Manet allitteratio for-  
tissima, sexies rediens *m* littera. Cf. Adelp. IV. 4, 4.

Mala merx Cist. IV. 2, 61. Pseud. IV. 1. 44. merx mala Meni.  
V. 2, 6. merx tu mala es Pers. II. 2, 56. o merces malae Truc.  
II. 4, 55.

multos memoravisse milites mendacium Truc. II. 6, 3.

mutat mores mulierum ibid. II. 8, 9.

magnae mellinae mihi ib. IV. 1, 6.

Malim moriri meos, quam mendicariet Fragm. Vidul. ap.  
Nonium p. 138, 29.

Membra metu debilia Adelp. IV. 4, 4.

mores morbum Hec. II. 1, 42.

maria montesque polliceri Sallust. Catil. 23, 3.

Praeterea tenendum tam in *m* littera, quam aliis in litteris, eam esse allitterationis frequentiam, multa ut facile nostras nunc aures oculosque praetereant. Praesertim iis in locis dicendique modis, qui multo usu leves, et quotidiani, facti sunt omnibus. Sic facile persuadebo allitterationem esse in his :

Nam mihi - membra misero Amph. V. 1, 66.

Vae misero mihi, male perdidit me Epid. I. 1, 48.

Id misero restat mihi mali Adelp. III. 3, 3.

nam in his ter, quater, recurrit *m* littera. Illud fortasse non statim credent omnes, quod tamen mihi est persuasissimum, allitterationem esse etiam in simplici, Plauto aequae ac Terentio usitata exclamatione *vae*, vel *hei*, *misero*, vel *miseræ*, *mihi*, vel etiam, inverso ordine, *mihi misero*; ipsoque factum amore allitterationis esse, ut exclamatio ista semper repeteretur. Frequens apud Terentium exclamatio haec est, in qua et ipsa allitterationem agnosco: *heu*, vel *eheu*, *me miserum*, *miseram*, vel etiam sine interiectione, *me miseram*, *miseram me*; rarior apud Plautum, sed tamen invenitur Aulul. IV. 9, 10. Merc. III. 4, 39. Addam alia eiusmodi, ut semel observentur.

mea mihi modo auferam Aul. III. 2, 19. male accipiar mea mihi pecunia Truc. II. 3, 30.

minime mirum, minime miror, Heaut. II. 3, 4. 4, 3. III. 2, 14. Adelp. II. 1, 43. Hec. II. 1, 23. minus mirandum Bacch. III. 5, 5.

Miris modis Merc. II. 1, 1. Rud. III. 1, 1. eodem versu; Hec. I. 2, 104. mira - miris modis Men. V. 7, 50. magis miris modis Mil. II. 6, 58. nimium mirimodis mirabiles Trin. IV. 2, 86. Miroque modo Rud. IV. 2, 7. modis pallentia miris Lucret. I. 124.

Virg. Georg. I. 477. me malis malim modis Bacch. III. 3, 86. malis modis Pseud. I. 3, 26. miseris modis Aul. IV. 4, 3. Mostell. I. 1, 51. Eun. V. 4, 33. Lucret. III. 506. mille modis, vel modis mille Trin. II. 1, 29. multis modis Bacch. III. 4, 9. Rud. III. 5, 57. multimodis Bacch. III. 2, 1. Mil. IV. 4, 53. Andr. V. 4, 36. Heaut. II. 3, 79. Hec. II. 3, 7. Phorm. III. 1, 1. Lucret. III. 116. V. 188. magna modis multis miranda Lucret. I. 727. multa modis multis mutata Idem I. 1023. Multa minuta modis multis Id. II. 115. Multa modis multis multarum Id. VI. 789. Et hoc, Multa modis multis, usitatum ac sollemne Lucretio, IV. 127. 166. 658. 729. 859. 1215. V. 423. nisi ibi *multimodis* ex V. 188. restituendum; 790. VI. 507. Multimodis — morbo Ennius p. 282. Hess.

mulier multo maxuma est Amph. II. 1, 150. voluptas ea mihi multo maxumast ibid. III. 4, 11. illud mi multo maximumst Andr. III. 2, 46. Unde nec talia negligenda sunt: multo maxume Hec. I. 2, 85. Multo melius ibid. II. 1, 20.

magnis atque amoenis moenibus Trucul. prol. 2. simile supra allatis *os exossas, exuberat umbra, ecastor cassa*, etc.

Ad *n* litteram haec annotata habeo:

noctu Nocturnum Amph. I. 1, 116. quod iam ad paronomasiam accedit. Contra in his, Neptunus-nocte, Novi, Neptunus, Neptunus nobis, opera Neptuni noctu, quae sunt Rud. II. 3, 32. 42. 7, 30. III. 3, 37. incertum videtur, an quid sive Plautus inter scribendum, sive auditores allitterationis persenserint.

Nubet mox noctu. nunquam Cistell. I. 1, 46.

nova nupta, saepe in Casina, alibi, et apud omnes. novom nuptum Cas. V. 1, 5.

nuperum et novitium Capt. III. 5, 60.

homini nato nemini Cas. II. 4, 15. nato nemini Pseud. I. 3, 63. natus nemo Most. II. 1, 55. 2, 21. in priore loco acce-

dit homoeoteleuton *intus natus*. nemo natust Rud. IV. 3, 31.

nutet, nictet, annuat Asin. IV. 1, 39. nuto neque nicto Men. IV. 2, 49. nutent, nictent Merc. II. 3, 72.

Alii adnutat, alii adnictat, Naevius Tarentilla ap. Festum v. Adnictat. Scaliger in Festum, et in Varron. p. 162. Fragm. Trag. ed. Both. p. 75.

nocti nocerier Curc. II. 3, 73.

nunquam nummum Most. IV. 5, 19. cf. V. 1, 52. nummum nusquam Pseud. I. 3, 65. nunquam - nummo ib. V. 2, 24. nummum nunquam Trin. IV. 2, 120. nugas nunquam Most. V. 1, 39.

nescio, Neque novi: neque natus, necne Trin. IV. 2, 7. 8.

numcratum illius in mensa manu Mille nummum Trin. IV. 2, 123. 4. alternis litteris *m* et *n*.

nunc nuper Eun. prol. 9.

neminem, Neque notum neque cognatum Eun. I. 2, 67. 8.

Illic est nugator nihili, non nauci homo: Ennius ap. Festum v. Naucum. noctem nauco ducere: Naevius ibid.

nomen et numen Attius Tereo ap. Nonium p. 173. extr.

nunquam numero, numero nimium, numero nimis, numero ac nequicquam, veteres ap. Fest. v. Numere, et Non. p. 352, 19.

parum - praeut futurum est, praedicas Amph. I. 1, 218.

paene expedit prima parasitatio ibid. I. 3, 25. *p* quater.

ad probos propinquitate proxime Aul. II. 2, 59.

pudicum - prostibulum popli ibid. II. 4, 6.

parce parcum praedicas ib. II. 4, 35.

Approperabo, ne - praedae praesidium parem Asin. II. 2, 28.

Pompam, penum, potationes Capt. IV. 1, 4.

pater peculiarem parvolum puero dedit ib. V. 5, 5. cf. V. 4, 16.

parasito — paratum prandium Curc. II. 2, 2.

pugnae praeliares plurimae ibid. IV. 4, 17.

properavit de puellae proloqui Suppositione Cist. I. 3, 3.

Pedibus perfugium peperit ibid. 13.

Perdite perduelles, parite *ibid.* 53.

puppis pereunda est probe *Epid.* I. 1, 70.

primus pudicitiam - pepulit *ibid.* IV. 1, 14.

Pacisci — paullula pecunia Potes *Bacch.* IV. 8, 24.

Priami patriam Pergamum *Bacch.* IV. 9, 2. o patria, o Pergamum, o Priame, periisti senex *ib.* 9. O pater, o patria, o Priami domus *Ennius Andromacha* p. 236. *Hessel.* qui suo partu ardua perdet Pergama *Idem Alexandra* p. 231. *Hess.* ubi praeter allitterationem *p per per*, observanda altera *ar ar* in partu ardua.

probri perlecebrae et persuastrices *Bacch.* V. 2, 47. Perlecebrae, pernicies *Asin.* I. 2, 7. perditio pernicies *Cist.* II. 1, 13.

in aliam partem palmam possidet *Most.* I. 1, 31.

in pectus permanavit, permadefecit *ibid.* I. 2, 63.

praedam participes petunt *ib.* I. 3, 154. *Cf. Pers.* V. 1, 5.

Pultando pedibus paene (?) confregi *Most.* II. 2, 23.

pergam porro percontarier *ibid.* IV. 2, 47. perge porro proloqui *Trin.* I. 2, 125. perge porro dicere *Cist.* IV. 2, 88. *Trin.* III. 3, 47. perge porro *Asin.* II. 4, 66. *Mil.* II. 4, 33. *Stich.* IV. 1, 38. *Heaut.* II. 3, 105. Reperitur tamen etiam sine allitteratione, perge dicere, perge eloqui, *Cist.* II. 1, 41. et 42. *IV.* 2, 85.

Non potuit paucis plura plane proloqui *Men.* II. 1, 27. observatum *C. Langio ad Cic. Cat. mai. G. I. Vossio* p. 154. b. Sed profecto nihil caussae erat, cur hoc observaretur prae aliis. Si enim licuit, et vero placuit, non solum in *p*, sed etiam aliis in litteris, ter, quater, allitterationem facere innumeris locis, cur non quinquies, sexies?

intra portam penetravi pedem *Men.* II. 3, 49. penetravi pedem *ibid.* V. 2, 64. intra pectus se penetravit potio *Truc.* I. 1, 23.

possim perpeti petulantiam *Men.* V. 1, 43.

praeripio pulpamentum, - praevorto poculum *Mil.* III. 1, 59.

pugnis pectas postea *Poen.* I. 2, 145. Pecte pugnis *Men.*

V. 7, 28. pugnīs pectitur Rud. III. 2, 47. Pugnum - impinge Rud. III. 4, 5. cf. ibid. 17. pondus pugno. perii, pugnos ponderat Amphitr. I. 1, 156. onerandus est pugnis probe ib. 172. obtusus pugnis pessime ibid. II. 1, 59.

praepotentes, pulchrae, pacisque potentes Poen. V. 4, 9.

Perii, perculit me prope Pers. V. 2, 29.

pendentem incursabo pugnis, periurissime Rud. III. 4, 17.

Neu — pater, parerem, parsi Trin. II. 2, 35.

Pol pudere quam pigere praestat ibid. 64.

piget parum pudere ib. III. 2, 35.

pax propitia foret praesto ib. IV. 1, 18.

pro proprio perditum ib. IV. 3 (4), 44.

periculo, per praedones plurimos ibid. 81.

Perparvam partem postulat Plautus loci Truc. prol. 1.

Plus decem pondo amoris paucillisper perdidit ibid. V. 21.

tu prior perde, et peri ib. 59.

primo processit parum Andr. IV. 1, 47.

Pro peccato magno paulum supplici satis est patri ibid.

V. 3, 32. cum interpellatione, *ppmpssp*.

quo pacto porro possim Potiri Eun. III. 5, 65.

nescio quid peccati portat - purgatio Heaut. IV. 1, 12.

Quam paene - perdidit protervitas ibid. IV. 6, 10.

Profundat, perdat, pereat Adolph. I. 2, 54.

perniciēs — Periurus, pestis ibid. II. 1, 34. 5.

Paulatim plebem primulum ib. V. 6, 20.

pervicaci — ut puerum praeoptares perire Hec. IV. 1, 17.

Pone adprehendit pallio Phorm. V. 6, 23.

parte pollet, et pariter potest Afranius ap. Non. p. 375, 5.

Haec fere sunt ter vel quater, vel etiam quinquies, factae in *p* allitterationis exempla. Addam alia nonnulla.

quam pependi perpetem Amph. I. 1, 124. noctem — pernoctare perpetem Truc. II. 2, 23. perpetuo perierim Eun. V. 3, 13. Adolph. II. 4, 19. perpetuo prorsum Adolph. IV. 1, 4.

pulchre plenam Amph. II. 2, 49. Pendebit pulchre Bacch. IV. 6, 23. Cf. Mil. II. 4, 50.

piam et pudicam Amph. V. 1, 34. Pium ac pudicum Hec. I. 2, 77. proba et pudica Afranius ap. Nonium p. 256, 27. participem pariter Aul. II. 1, 13.

pane, in pannis Asin. I. 2, 16. Sed hic magis lusus est in verbis, conferendus cum Terentiano *pannis, annisque*.

porto a portu Capt. IV. 2, 89. a portu apporto Merc. I. 2, 49. Stich. II. 1, 25. Hic quoque in verbis lusus est haud dubie, non allitteratio simpliciter. Simplicem allitterationem, h. e. eam, in qua nullus nisi litterarum lusus, habes in Sticho, eadem pagina scenaeque, vs. 3. pectus porto.

pereo probe Capt. III. 4, 102. pereunda est probe Epid. I. 1, 70. peristi pulchre Mil. II. 4, 50. probe percusseris Amph. I. 1, 162. praedatus probe Pers. IV. 4, 115. populabo probe Fragm. ap. Diomed. I. 395. Cf. Amph. I. 1, 126. Curc. III. 16.

posce, prome Capt. IV. 2, 115. petere et poscere Heaut. V. 1, 55.

deposivi, - propera ponere Curc. IV. 3, 4. propere pro-lue ibid. I. 2, 29. prodeat propere Cist. III. 8. quod perdun-dum est, properem perdere Bacch. IV. 9, 126. progredi pro-perabo Men. V. 2, 2. peri perpropere Mil. II. 4, 10. propere, quam potest, peribit Truc. II. 7, 9. properans percurro Andr. II. 2, 18. properans prosilit Eun. V. 7, 6. propere praecu-rrit Hec. III. 3, 11.

pessuli pessumi Curc. I. 2, 66. lusus in verbis.

pono et paro ibid. IV. 2, 20.

pectore penitissimo Cist. I. 1, 65.

Perdidit, pessumdedit Bacch. III. 3, 5. Persa me pessumde-dit Pers. IV. 9, 3. paronomasia in *ers* et *es*, quo de genere supra dixi in *l*.

propere - non placide Mil. II. 2, 65.

perperam perplexo ibid. II. 5, 25.

- primum praevorti ib. III. 1, 170. praesensit prius Pseud.  
 I. 4, 15. Prius praediviniant Truc. II. 3, 17.  
 praestare praedicat Mil. III. 1, 182.  
 poscam potitant ib. III. 2, 23.  
 perfidia pervincamur ib. III. 3, 68.  
 des pacem propitius Merc. IV. 1, 12. parcas gnato pace  
 propitius ibid. 14.  
 placida et placatata ibid. V. 4, 4.  
 praemium et praedam Pseud. IV. 7, 127.  
 Perfidia et Peculatus Pers. IV. 4, 7.  
 paucis percontarier Rud. I. 2, 32. cf. Pers. IV. 4, 49.  
 periurum perdidisti Rud. II. 3, 30.  
 Piscator, pistor Trin. II. 4, 6.  
 pallam et purpuram Truc. V. 54.  
 Precibus, pretio Eun. V. 8, 25. neque precio — neque  
 prece Attius ap. Diomed. I. 380. cum paronomasia.  
 petax, procax Heaut. II. 1, 15.  
 vitam parsi perdere Hec. III. 1, 2.  
 plectar pendens Phorm. I. 4, 42.  
 potior, prior ibid. III. 2, 48.  
 perpellit (al. percellit) pedem Naeivius eleganti illo Taren-  
 tillae fragmento. Plautus loco consimili: Neque illaec ulli ho-  
 mini pede pedem premat: Asin. IV. 1, 30. ut versum restituit  
 Lingius. Alia in re Ennius p. 303. ed. Hessel. pes pede pre-  
 mitur. ubi cf. Furius ap. Columnam.  
 pudet, piget Poeta ap. Quintilian. IX. 3, 77. Pudet pi-  
 getque Adelph. III. 5, 38.  
 parce pureque prudentes, vel *putantes*: Varro ap. Nonium  
 p. 167, 8.  
 prostrata viam per, proque voluta Lucret. VI. 1266.  
 E Cicerone Vavassor de vi et usu quorund. verbor. pag.  
 511. Kapp. ut ostenderet, posse eandem primam litteram ter  
 continenter poni, hoc laudat: animum et praesentem perci-  
 pere pariter cum corpore, Tusc. V. c. 35. Potuerat reliqua

addere, quae iterum iterumque *p* litteram inculcant: animum et praesentem percipere pariter cum corpore, et prospicere venientem, nec praeteritam praeterfluere sinere. Et quae sunt eiusmodi alia apud Ciceronem: suspicor autem multa esse.

victoria pax, non pactione, parienda est: Cicero ad Plan- cum X. 6, 2. lusus in verbis, sive paronomasia.

Neque haec negligenda sunt, trita, proverbialia, ab anti- quissimo inde tempore usitata:

parvi pendere, vel parvipendere, Rud. III. 2, 36. Trin. I. 2, 65. Fragm. ap. Festum v. Profanum. Andr. III. 2, 46. Hec. III. 5, 63. plurimi pendit Bacch. II. 2, 29. poenae pen- dentur Asin. II. 4, 77. poenas pendet Heaut. IV. 4, 6.

penu et pecunia Capt. III. 1, 12. panis et peni Trin. II. 1, 25. Quae et ipsa proverbii speciem habent, etsi his tan- tum repperi locis.

res publica et privata Curc. IV. 3, 20. rei privatae et publicae Trin. I. 1, 16. publicum privatum habent ibid. II. 2, 8.

a puero parvulo Merc. I. 1, 89. a pueris parvulis Adelp. III. 4, 48. a pauxillo puero Stich. I. 3, 21.

purus putus Pseud. IV. 2, 52. 7, 103. Cf. Nonius p. 27. et Gellius VI. 5. et Varro ap. Nonium p. 271, 12. Apud Gel- lium verissima est Alfeni Iuriconsulti admonitio, tali copu- latione augeri atque intendi verborum significationem. Atque eo nonnihil valet allitteratio. Conferebat Alfenus *novum novi- cium*, quod magis ad exempla supra a nobis p. 529. prolata pertinet, et *proprium propicium*. Et sunt inter exempla apud Gronovium, quae huc spectant: *sacrosanctum, sartum tectum, pransus paratus. pransum ac paratum* Varro ap. Nonium p. 459, 1. et *Pransus paratus* titulus fuit Satirae Varronianae, de quo conferatur A. Popma, qui laudat Catonem Orig. lib. V. *Exercitum suum pransum paratum cohortatum eduxit foras*; et Ciceronem pro Milone c. 21. *adde inscitiam pransi poti osci- tantis ducis.*

puri, probi, profani, sui auri: Festus.

parcipromi Pseud. V. 1, 22. Truc. I. 2, 81. cui oppositum est, quod usurpat Plautus Poen. III. 4, 6. prodigum promum. promus pectori Trin. I. 2, 44.

Plagipatidas Capt. III. 1, 12. factum a Plauto, ut supra *cruricrepidæ*.

Denique nonnulla huiusmodi :

appotum probe Amph. I. 1, 126.

explevi probe Curc. III. 16.

Pugnum - impinge Rud. III. 4, 5.

apprime probus ibid. 30. Trin. II. 2, 92.

compernem, aut paetum Fragm. ap. Festum v. Valgos.

opera experiar persequi Capt. II. 3, 65. perge operam experirier Pseud. IV. 2, 50, quibus locis ter auditur *per*.

Alia eiusmodi iam adpersi supra, ut *paene expedivit, peri perpropere*. anteparta - perderes Trin. III. 2, 17. cf. Truc. II. 3, 22.

q litterae raro allitterationem vidi, in primis quidem syllabis. Pertinent huc :

quantus et quam validus est Amph. I. 1, 143. quibus et quantis Aul. V. 1. Quantam et quam veram Eun. V. 4, 3. cui respondent infra proferenda *tanto tam repentino bono, tantam, tam brevem*.

quantum queam, queo, Andr. III. 3, 45. Eun. V. 2, 5. quanti queas Eun. I. 1, 30. neque quicquam queo Curc. I. 1, 64. si qua queat Cist. I. 1, 35. quid quaeque queant Lucret. I. 587. quid quaeque queat res Id. V. 546. Quadrupedes quoe quo Id. VI. 757.

quod te quisquam quaeritet Aul. I. 2, 14.

neque qua quaeram Rud. I. 4, 6.

quisque quicque Pseud. III. 2, 93.

quassanti capite, capitibus quassantibus, supra in c vidi-

mus. *Equidem ecastor*, in *e. quicquam quisquam quoiquam, quicquam quoiquam*, et similia, vid. infra in III.

*r* littera nusquam frequentius allitterationem facit, quam in voce *res*: quae vox quum hoc habeat per naturam suam proprium, ut usurpetur saepissime, persaepe assumit, et quasi ad se attrahit aliam vocem ab syllaba *re* incipientem.

*res* recte vortat Aul. II. 2, 41. alibi: *res* vortat bene, Asin. prol. 2. Curc. V. 3, 51.

omnibus relictis rebus Cist. I. 1, 6. relictis rebus Epid. IV. 2, 35. Heaut. IV. 7, 12. *res* omnis relictas Stich. II. 2, 38. relictis rebus omnibus Eun. I. 2, 86. Lentulus in Cic. Epist. XII. 14, 5. omnibus rebus relictis. relictis rebus rem perdit Truc. II. 1, 25. Erus me relictis rebus Andr. II. 5, 1. ubi fortasse consonabat etiam *r* in voc. *Erus* sive *Herus*.

adeo *res* rediit, redit, Heaut. I. 1, 61. Phorm. I. 2, 5. cf. Heaut. V. 2, 27. in eum *res* rediit - locum Heaut. II. 3, 118. cf. Adolph. II. 4, 8. 9. vere ad rastros *res* redit Heaut. V. 1, 58. Ad restim — *res* redit Phorm. IV. 4, 5. summa — rerum redit Phorm. II. 2, 3.

ad rem redi Heaut. II. 3, 78. Adolph. II. 1, 31. ad rem redeamus, Sed ut ad rem redeam, usitatum Ciceroni in Epistolis: ad Famil. II. 10, 3. III. 7, 17. VII. 13, 4. XI. 14, 3.

dudum *res* redduxit Andr. V. 4, 45. ubi accedit allitteratio in *du*.

rem resciverim Cist. I. 1, 104. cf. Heaut. I. 1, 47. Adolph. V. 3, 5. Hec. IV. 1, 52.

repperi rem Rud. IV. 3, 87. rem — repperi Heaut. I. 1, 60. ei rei reperiatur Trin. III. 3, 28. re ipsa repperi Adolph. V. 4, 6. Phorm. V. 7, 6.

*res* rationesque Amph. prol. 4. *res* ac rationes Capt. III. 5, 15. meo remigio rem gero Mil. III. 1, 152. ubi fortasse etiam sibi inter se alludebant *gio gero*. recenti re Poen. III.

4, 18. re recenti Trin. IV. 3 (4), 8. rem reliquisset Phorm. II. 3, 46. Tot res repente Adelph. III. 2, 4.

Ea re repudium remisit Aul. IV. 10, 69. repudium - Remiserim Phorm. V. 8, 35, 6. renunciare repudium Aul. IV. 10, 53. repudium renuntiet Phorm. IV. 5, 72. Repudiatuſ repetur Andr. I. 5, 14. repudiato, et reddito Ennius ap. Nonium p. 110, 15.

recipiam rursus Capt. I. 2, 25. recurro rursus Cist. II. 3, 50. Redeo - rursus Mil. II. 6, 109. rursus restitues ibid. III. 1, 108. Revortor rursus Poen. prol. 79. redemi rursus Trin. I. 2, 145. redeo rursus Eun. IV. 2, 6.

restitando, retinendo lassum reddiderunt Capt. III. 2, 3, 4. reducem — reddiderunt ibid. V. 1, 2. reliquiarum reliquias reconderem Curc. III. 18. qui recludat - qui respondeat Most. II. 2, 22. repperi radicitus ibid. V. 1, 62. rationem reddam Trin. II. 4, 114. trita multo usu loquutio, sed propterea non minus memorabili alliteratione. revocat: redeam Eun. I. 1, 4. Restituam ac reddam ibid. I. 2, 67. Reddere ac restituere ib. IV. 6, 8. renuntiem - responsum Heaut. IV. 8, 18. retundam, redigam ibid. V. 1, 75. Repressit, neque reflexit Adelph. III. 2, 9. reprime — atque ad te redi ibid. V. 5, 8. Repressi, redii ibid. 9. resupinat: respicio: rogo Phorm. V. 6, 23. rure redierunt Capt. I. 1, 18. rure redeuntem Eun. V. 4, 45. ad regem recta Amph. IV. 5, 8.

Rogitationes — rogatas rumpitis: - reperitis rimam Curc. IV. 2, 24.

Rogitando sum raucus factus Epid. II. 2, 16. ad raucam ravim Fragm. Cistell. ap. Nonium, et Festum, et A. Maium p. 18. sed hoc magis ad illa pag. 329. a me commemorata pertinet.

ille ringitur: tu rideas Phorm. II. 2, 27. ridens ringitur Pomponius ap. Nonium p. 517, 30.

Ennius Anual. VI. ap. Varr. de L. L. VI. p. 73. HSt. Orator sine pace redit, regique refert rem. Columna p. 60. ed. Hess. Re *syllaba multum Antiquis idonea visa est ad expri-*

*mendum redeundi actum. Quare verba id significantia apud Latinos ab eadem syllaba incipiunt, ut redeo, revertor, regredior, remeo, remigro. Unde Poëta noster, ut Oratoris reditum congruentibus litteris explicaret, quatuor coniunctim dictiones posuit, quarum singulae a re syllaba initium habent. Bene postrema. Priora ita scripta sunt, ut inepta videantur. Quid enim hoc mirum est, aut singulare, si verba reditum significantia ab ea initium habent particula, in qua redeundi notio inest? Sic verba quae progressum significant, a pro incipere solent, quoniam pro motum exprimit, quo quis ultra pergit. Et sic innumera in omni sermone humano: neque sine ea re sermo esset sermo. Hoc volebat Columna, placere sibi veteres in litterarum syllabarumque earundem repetitione, ita quidem, ut cumulent verba, quae eandem notionem et formationem, atque hinc litteras habent easdem, tum adiungere alia eodem sono. Ut in Ennii exemplo redit et refert cognata inter se notione et formatione, atque hinc sono, verba sunt; regi et rem sono tantum inter se, et cum illis cognata sunt.*

Distuli usque ad hunc locum duo inprimis conspicua exempla, in quibus primarum litterarum allitteratio coniuncta cum genere eo, quod nobis II. est, cernitur:

Recipe te, et recurre petere re recenti Trin. IV. 3 (4), 8. ubi Lindemannus observari frequentem et ridiculum usum litterae *r* iubet;

primo ruere rebamur Amphitr. V. 1, 43.

qui loci eo differunt, quod in priori, quum placuisse Plauto crebro repetitum sonum *re* certum sit, cur placuerit, nulla certa ratio afferri potest; at in Amphitruonis loco egregia vis est τοῦ ῥωτακτισμοῦ, ad imitandum domus collabentis, vel collapsurae, strepitum. Contulerit aliquis Trucul. II. 2, 51. lateres veteres ruere. ubi tamen allitteratio magis in mediis posita est vocibus: ere ere *r* ere.

s littera.

servi sumpsit Sosiae Amph. prol. 124. sufferet suos servos - Sosia ib. III. 4, 19. in somnis Sosiam ib. II. 1, 74.

statim stant signa ibid. I. 1, 120.

sic isti solent superbi subdomari Asin. III. 3, 112.

spes, opes, — a me segregant, spernuntque se Capt. III. 3, 2. spernit, segregatque ab se omnes Mil. IV. 6, 17. Suspicionem et culpam ut ab se segreget Asin. IV. 1, 29. Suspicionem et culpam ut ab se segregent Trin. I. 2, 42. ab se segregat Capt. III. 1, 10. sermonem segrego Mil. III. 1, 61. Segrega sermonem Poen. I. 2, 136. me e senatu segregant Most. V. 1, 9. inter sacrum saxumque sto Capt. III. 4, 84.

Sator, sartorque scelerum ibid. III. 5, 3.

screanti, siccae, semisomnae Curc. I. 2, 22.

Salve. LE. egon salva sim, quae siti sicca sum ibid. 26.

servos sermonem serat ib. I. 3, 37.

quos Summanos somnias ib. IV. 3, 14.

Solet - sane sectari senex Cas. II. 8, 25.

Spes mihi sancta subvenit Cist. IV. 1, 18.

Sine meo sumptu — sunt scapulis symbolae Epid. I. 2, 22. sine meo saepe - sumptu Cist. I. 1, 52.

stultitiae tuae subdas succidaneum Epid. I. 2, 37. subdam sub solum Curc. II. 3, 18.

Saliendo sese exercebant magis, quam scorto, aut saviis Bacch. III. 3, 25. scortum pro scuto ibid. I. 1, 39. sed haec paronomasia est.

Salutem tibi ab sodali solidam Bacch. II. 2, 10.

Cavesis te superare servom siris ibid. III. 2, 18.

suo sodali sedulo ib. III. 3, 71.

sum sacer, scelestus: spectata ib. IV. 6, 14.

Solam - soli sibi suo Most. I. 3, 48.; reddam suum sibi Trin. I. 2, 119.

servitus, sudor, sitis Merc. IV. 1, 8.

sufferam, solem, sitim ibid. V. 2, 20.

stabulum, statumque, sellam et sessibulum Poen. I. 2, 56.  
 sempiternam servitutem serviat Pers. I. 1, 35. Non an-  
 notarem hoc *servitutem serviat*: pertinet enim ad supra pro-  
 lata p. 328. verum hoc loco tertium *s* accedit. scelestam  
 servitutem serviunt Curc. I. 1, 40.

supersit, suppetat, superstitet Pers. III. 1, 3.

Satis sumpsimus supplici ibid. V. 2, 72. Cf. Merc. V. 4, 31.  
 sistendae mihi sunt sycophantiae Trin. IV. 2, 25.

si in te sit solo situm Andr. I. 5, 41.

si hic non insanit satis sua sponte, instiga ibid. IV. 2, 9.

scio mea sofide solum ib. V. 5, 8.

solus Sannio servat domi Eun. IV. 7, 10.

Solius solliciti sint causa Heaut. I. 1, 77.

set eccum scelcratum Syrum Adolph. IV. 2, 14.

Sola — sola, Sostrata Hec. II. 1, 32.

sodes, Sophrona Phorm. V. 1, 14.

senibus Sunium ibid. V. 5, 9.

satin tu sanus es, Satin tu sana es, Satin tu sanus (vel  
*sanu's*), satin sana es, Amph. II. 1, 57. Merc. IV. 1, 16. Trin.  
 II. 4, 55. Cas. II. 2, 34. satin sanus es Adolph. V. 8, 14. Phorm.  
 V. 3, 19. Heaut. V. 2, 53. Satin sanu's Andr. IV. 4, 10. satine  
 sanu's Eun. III. 5, 11. Satin sanus es, aut sobrius Heaut. IV.  
 3, 29. Apposui locos, ut hoc quoque exemplo appareret,  
 quam sibi fideliter constare Comici in eiusmodi loquutionibus,  
 et quid tamen variare leviter soleant. Sic quod Plautus inse-  
 rit plerumque, *tu* pronomen, id Terentius, nisi fallor, nun-  
 quam habet. Deinde dubitabam aliquando, an non recte viri  
 docti iis locis, quos indicavi, *sanu's* scribant pro *sanus*. Sed est ta-  
 men correctio satis probabilis. sanan es, Sanane es Curc. V. 2, 54.  
 Cist. IV. 1, 14. sanun es Truc. II. 4, 13. Sanus satis non es  
 Bacch. IV. 5, 14. satine salve, vel *salvae*, Trin. V. 2, 53. Eun.  
 V. 5, 8. de quo ad Livium I. 58, 7. interpretes, Dukerus, Dra-  
 kenborchius.

sana et salva sum Amph. II. 2, 98. salvam et sanam Epid.

IV. 1, 36. salva et sana sunt Merc. I. 2, 62. Sanam et salvam ibid. V. 2, 48. Salutem et sanitatem ibid. IV. 1, 13. sanae ac salvae Pseud. IV. 6, 6. Unde Iusus Plauti, Truc. II. 2, 4. AST. Salve. ST. satis mihi est tuae salutis: — non salveo. et ibid. 5. tua salute sanior. sanae et salvae rei publicae: Cicero ad Cornificium Epist. XII. 23, 6. Salva impertit salute servos Epid. I. 2, 24. Salus servassit Cist. IV. 2, 76. Galli, sain et sauf. Sed quae sunt in aliis linguis similia, non anquiro curiosius.

salvom et servatum Aul. IV. 6, 11. salvom et sospitem Capt. IV. 2, 93. salvam et sospitem Rud. III. 2, 17. sospitem et superstitem Asin. I. 1, 2. sospitent, superstitent Ennius ap. Nonium p. 170, 14. 176, 3. vel *superstitentque*.

sane sapio et sentio Amph. I. 1, 292. si sis sanus, aut sapias satis ib. III. 2, 23. sapis sane Cas. III. 6, 15. sentit, sapit Bacch. IV. 7, 19. nil sapit, Nec sentit ibid. 22. 3. solus satis sapit Mil. III. 3, 12. hinc sapit, hinc sentit Poen. V. 4, 30. sentio, et subolet mihi Trin. III. 1, 14. Sat sapio, satis ibid. III. 2, 10. Scio ego, et sentio ipse ibid. 13. Scio — subolet, sentio ibid. 72.

dictum sapienti sat est Pers. IV. 7, 19. Phorm. III. 3, 8.

sat scio, satis scio, Aul. III. 6, 25. Trin. IV. 1, 13. et Terentius multis locis,

satis scite Trin. III. 3, 56. Heaut. IV. 4, 7. Cicero ad D. Brutum Epist. XI. 16, 2.

Sat sic suspectus sum Bacch. IV. 9, 81. sic satis Heaut. III. 2, 12. IV. 5, 22.

satis spectata est Stich. IV. 2, 48. spectatum satis Andr. I. 1, 64. Satis, iam satis, Simo, spectata ibid. V. 1, 1. servos spectatus satis Adelp. V. 6, 5.

satis superque est Amph. I. 1, 14. Alia exempla e Cicrone, Sallustio, Livio, qui cupit, petat a Drakenborchio in Liv. III. 67, 5.

telo suo sibi Amph. I. 1, 113. serviat suo sibi patri Capt. prol. 5. cf. 50. sua sibi fallacia ibid. 46. Suo sibi succo ib. I. 1, 13. sua sibi ingenua indoles Mil. III. 1, 38. pinna sua

sibi Poen. II. 40. sua sibi pecunia Pers. I. 3, 1. Suo sibi gladio Adolph. V. 8, 35.

solus secum secreto Amph. III. 2, 73. sola secum Aul. I. 1, 13.

socordiam - segnitiam Asin. II. 1, 6. somnum socordiamque Pseud. I. 2, 11.

servem sedulo Capt. II. 2, 7. servavi sedulo Curc. V. 2, 41.

sancta Saturitas Capt. IV. 2, 97.

sentis sub signis Cas. III. 6, 1.

de sodalitate solus Most. V. 2, 5.

sputator, screator Mil. III. 1, 52.

siccam, succidam ibid. 192.

sursum ad summum escenderis ibid. IV. 4, 14. supina sursum Cist. II. 3, 78. sursumque supina Lucret. IV. 443.

speciem spernat Mil. IV. 6, 20.

mea salus, meum saviium Poen. I. 2, 153. hem salutem, hem saviium ibid. 170.

severum et scrium Poen. V. 3, 51.

sitiunt qui sedent ibid. V. 4, 54.

sapientem et sobriam Pers. IV. 5, 2.

suppetit subito Rud. II. 4, 36.

scaeva strenaque Stich. V. 2, 24.

stultius, neque stolidius Trin. I. 2, 162.

studio stupidus Hec. prol. I. 4.

sumam supplicium Andr. III. 5, 17. Cf. Pers. V. 2, 72.

Merc. V. 4, 31. supplicium sufferam Andr. V. 3, 17.

sufferre - sumptus Heaut. III. 1, 44. sumptum suggeris

Adolph. I. 1, 37. suppeditare sumptibus Heaut. V. 1, 57.

sollers, sicca, sana, sobria: Afranius ap. Nonium p. 21. extr.

sane sarcteque: e libris auguralib. S. Charis. II. 195. 196. P. Cf. Festus.

Salmaci, da spolia sine sudore et sanguine: Ennius p. 300. Hess. iam memoratum ab H. Columna pag. 9.

sensim sine sensu: Cicero Cat. mai. c. 11. observatum a C. Langio, qui id *παρόμοιον* vocat. Et hoc quidem non tam ad allitterationem simplicem, quam ad acute dicta pertineret, quo de genere p. 550. sq. monitum. Sed accedit ibi allitteratio alia. Ita enim sonat totus locus: *sensim sine sensu actas senescit.* et statim sequitur: *nec subito* frangitur. Caeterum non opus est, ut hoc e Catonis persona, moremque imitaturus priscum, scripserit Cicero: non obsoleverat Ciceronis aetate allitteratio. Hoc vitium videtur, et negligenter scriptum, Victorio V. L. XXXVI. 20.

saltum- obseptum Cas. V. 2, 41.

sirpe et laserpitium Rud. III. 2, 16. sed hoc ludit in eodem vocabulo.

In *t* allitterationis exempla non magno video numero. Frequens hoc modo, ut cum pronomine fiat.

tetuli tibi Amph. II. 2, 84. 168. annuero hoc propter duplex *t* in *tetuli*.

te tetigi triginta minis Epid. V. 2, 40. terram tetigimus Amph. I. 1, 48.

Tute (al. Tu) tabellas Curc. II. 3, 90.

tacitus taceas tute tecum Epid. V. 1, 44. tute tecum Mil. II. 2, 41. 5, 12. Mostell. II. 2, 80. III. 1, 24. Eunuch. I. 1, 19. Heaut. I. 2, 26.

tecum tacitum Poen. IV. 2, 68.

tu abi tacitus tuam viam Rud. IV. 3, 88.

tua erit tecum tertia Bacch. IV. 4, 66.

tradiderunt tibi tui Trin. III. 2, 16. tuam trado tibi Asin. III. 1, 14.

tuam te tueris Trin. III. 2, 82.

tute tibi Curc. I. 1, 9. Cistell. II. 3, 21. Mil. II. 3, 11. Pers. IV. 4, 24. Truc. IV. 5, 69. tibi tute Stich. V. 4, 26. tibi tute

Lucret. III. 1037. tute tibi Id. IV. 577. 1143. VI. 72. Commemoro propter duplex *t* in *tute*, quod satis fortem allitterationem facit, ubi *t* accedit tertium.

sat tute tuarum Bacch. IV. 5, 23.

tantum, tamque indignum Mil. II. 6, 18. tanto, tam repentino Andr. V. 4, 35. tantam, tam brevem Eun. III. 5, 57. tot res, tantas, tam opportune ibid. V. 8, 17.

timeo: totus torpeo Amph. I. 1, 179. totus timeo ibid. V. 1, 25. timidas terrore ib. 27. timida aut turbida Most. V. 1, 11. timore torpeo Truc. IV. 5, 50. totus - Tremo Eun. I. 2, 3. 4. Tota turget Most. III. 2, 10. quae cor tuum timiditas territat Pacuvius ap. Nonium p. 228, 18.

tractim tangam Amph. I. 1. 157.

quae illunc - intemperiae tenent Aul. I. 1, 32. quae intemperiae te tenent Epid. III. 4, 39. quae te intemperiae tenent Mil. II. 5, 24. tenere te asinum tantum Eun. III. 5, 50. Neque illud, tene tu - tibi Cist. IV. 2, 105. tene tibi Truc. II. 6, 59. III. 2, 19. V. 60. sine amore dictum allitterationis putem. trahi et trudi Capt. III. 5, 92.

trado, Tranio Most. II. 1, 59. Cf. sup. p. 351.

tergum tegam Most. IV. 2, 75. tergo tutelam geram Trin. IV. 3(4), 51.

tectum et tegulas Rud. prol. 78. lusus in eodem verbo.

te — talos, tergumque obtestor tuum Rud. III. 2, 21.

temere tinnit tintinnabulum Trin. IV. 2, 162. (3, 7.)

tactum toxico Fragm. Cistell. ap. A. Maium p. 18.

temulentast - et temeraria Andr. I. 4, 2.

tuber est totum caput Adelph. II. 2, 37.

per te tecta tacitaque Hec. III. 5, 28.

tacitus taxim Pomponius ap. Nonium p. 178, 20. tacitulus (tacitus) taxim Varro ap. Nonium p. 47, 27. tacitulus taxim Idem ap. eund. p. 550, 18.

Tu mulier tege te, et tuta templa Liberi. Pacuvius ap. Nonium p. 476, 15. Cf. ibid. Naevius, Pomponius.

O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti. Ennius.

At tuba terribili sonitu taratantara dixit. Idem. Prius hemistichium cum allitteratione sua recepit Virgilius.

res temere tractent turbidas Ennius ap. Cic. de Or. I. 45.

ita intendi tenus Bacch. IV. 6, 23. Quo etiam pertinet paullo ante prolatum *intemperiae tenent*.

Virtutem, Victoriam Amph. prol. 42. Virtute dixit vos victores vivere ibid. 75. Victores victis hostibus ibid. I. 1, 55. Id vi et virtute militum victum ib. 56. Vicimus vi feroces ibid. 82. ut meus victor vir belli clueat ib. II. 2, 16. vivit, victor victorum cluet Trin. II. 2, 28. virium victoria Pseud. IV. 7, 74. vim victoriamque, vel etiam sine copula, *vim, victoriam*: Decius, ap. Livium VIII. 9, 7.

valete, - et vincite Virtute vera Cas. prol. 88. 9. Cist. I. 3, 49. 50. vale, et vince Merc. II. 4, 29. vince, et vale Cicero Epist. Famil. X. 26. extr. XI. 25. extr.

vicisse villicum Cas. II. 7, 6. vicit villicus ibid. 10.

vincasque virum, victrixque sies Cas. IV. 4, 3.

vobis victi Cistell. I. 3, 54. debilis allitteratio, et vix animadvertenda, nisi statim subiiceretur altera, *Poeni poenas* sufferant. vivendo vincere Epid. II. 1, 8. quam vi, victo vivere Rud. III. 2, 7. vi Veneris victus Trin. III. 2, 32. Vir erat, plus valebat, vicit Truc. IV. 3, 39. vicit vinum Eun. IV. 5, 1. ventumst: vincimur Phorm. I. 2, 85.

victus vi, Lucilius XXVII. fragm. 7. vi victus Virgilius XII. 254. Et apud Manilium IV. 182. placeret per se *vivere victor*, aut *vivere victo*, si conveniret sententiae. vi victa vis, Cicero pro Mil. c. 11. observatum Victorio V. L. XXVII. 11. et sequitur statim *virtute*.

si id vi verum vincitur Amph. II. 1, 44. vero vincam Most. I. 2, 12. vero vincat Mil. II. 2, 51. veris vincor Phorm. III. 2, 16.

vi virisque Amph. I. 1, 55. viri freti virtute, et viribus  
 ibid. 57. volneris vi et virium (?) ib. 79. an sic: *cadunt vol-  
 nere viri virum?* certe talis quaedam sententia requiritur. *ἔν-  
 θα δ' ἀνήρ ἔλεν ἄνδρα.* vi, violentia Rud. III. 6, 1. vir-  
 tutem - et vim militum Eun. IV. 7, 8. cf. sup. Amph. I. 1, 36.  
 viri vires Cicero pro Milone c. 25. praestantissima virtute  
 virum, fortissimi viri virtus, ibid. c. 24. et 50. viri virtus Virg.  
 Aen. IV. 5. collata a Victorio l. l. Qualia haud dubie multa  
 exstant apud Ciceronem. ut: vestrae tum arae — viguerunt,  
 vestra vis valuit, pro Mil. c. 51.

nec vim, nec vitium Epid. I. 2, 7. per vim vitium Adelph.  
 III. 2, 10.

valido, viripotenti Pers. II. 5, 1.

Valens — me vacivom virium Bacch. I. 2, 46. vix vi Eun.  
 I. 1, 23. vi nunc ereptum venit ibid. IV. 6, 14. Quod vos vis  
 cogit, id voluntate Adelph. III. 4, 44. vi, et via pervolgata  
 Heaut. I. 1, 49. vi in via Hec. V. 3, 30. Fit via vi Virg. Aen.  
 II. 494. vix veram in viam Cas. II. 6, 17. vix via alta atque  
 ardua Ennius. vix vivimus cum invidia Cistell. I. 1, 50. vix  
 vivum Most. II. 2, 2. vix videtur ibid. III. 2, 137. vix vitam  
 Rud. I. 5, 25. vix vivos ibid. II. 7, 55.

vivit, et valet; vivit, valet; valere et vivere; vive et va-  
 le: valete et vivite; vivant, valeant; valeat, vivat: locis, quos  
 taedet apponere. etiam Lucretius V. 959. et Horatius Epist.  
 I. 6. extr.

vale, et vola per Elysium; avi dictum, in Burm. Anth.  
 Lat. T. II. p. 294. Sed hos recentiores intactos relinquo.

voluptatum in vita Amph. II. 2, 1. voluptatis vitae Trin.  
 II. 1, 6.

Malo - vostro tam versuti vivitis Cas. II. 8, 53. videor vitam  
 vivere Mil. III. 1, 54. de vostro vivito Truc. V. 61. non vere  
 vivitur Heaut. I. 1, 102. victu et vita Capt. III. 1, 35. ventri  
 victum Amph. I. 1, 146. vivis, victibus Mostell. I. 1, 45. vi-  
 ctitabam volup ibid. I. 2, 74. Vino et victu ibid. III. 2, 41. vi-

ctibus, vino atque unguentis Bacch. V. 2, 62. victu, vino, unguentis Pseud. IV. 1, 37. victitare - vili Mil. II. 3, 50. victum volgo quaerere Heaut. III. 1, 38. Victus, vestitus ibid. V. 2, 15.

Ennius ap. Cic. Tusc. Q. I. 35. vi vitam evitari. *vitam evitari* ut supra *exossatum os, os exossas.* et inest acumen, non simplex allitteratio.

Lucilius Fragm. inc. 33. p. 207. Vis est vita, vides.

Vivus vidensque Eunuch. I. 1, 28.

Lucretius I. 73. vivida vis 203. vivendo vitalia vincere saecula. ubi nonnulla, etiam allitteratione similia, apud Preigerum, ut Virg. Georg. II. 295. virum volvens durando saecula vincit. Cf. supra nobis laudatus Plauti locus, Epid. II. 1, 8. vivendo vincere, et Lucret. III. 1103. quot vis vivendo. Idem Lucretius V. 962. Vel violenta viri vis. V. 1225. vis violenta - venti Id. V. 991. Viva videns vivo sepeliri viscera busto. ubi Lambinus: *Non temere harum syllabarum complusionem quaesivit, Viva vid. vivo.* Consonat etiam *viscera.* Cf. II. 963. vi - per viscera viva. Idem Lucretius III. 1059. Mortua quoi *vita* est prope iam *vivo* atque *videnti.* ubi proverbium Lambinus, nam proverbium esse recte sensit, illustrat tum Terentii loco ex Eunuchio, quem paullo ante attuli, tum Ciceronis locis, e quibus maxime memorabilis est propter crebram allitterationem, pro Sextio c. 27. *vivus*, ut aiunt, est, et *videns*, cum *victu* ac *vestitu* suo publicatus. *vivus* et *videns*, ut apud Terentium in Eunuchio; *victu* ac *vestitu*, ut apud eundem in Heautontim. loco paullo ante a me laudato.

Possunt haec satis multa videri in una littera: sed tamen quum in nulla fortasse frequentior sit allitteratio, placet alia addere. Incipiam a dictionibus nonnullis valde usitatis, et quasi quotidianis, proverbii, tum alia ponam promiscue.

vae victis. proverbium, ap. Festum. vae victis Pseud. V. 2, 19.

videor vidisse Most. I. 3, 113. III. 2, 135. Pers. IV. c, 16.

Videre videor Adelp. III. 3, 50. videre videre Lucret. IV. 420. viderer videre, videre videor: Cicero Epist. Famil. IV. 7, 11. IX. 15, 6. XIV. 3. extr. XVI. 21, 14. Cf. Bentl. in Horat. Carm. II. 1, 21. Caeterum huic loquutioni praeter alliterationem manifesto acumen inest, et lusus in diversa potestate eiusdem verbi, qua re illam aptam prosae orationis elegantiae, vel, quae hanc imitatur, comoediae esse, minus aptam carminis dignitati lyrici esse apparet.

vitio vortere, vertere, ubique. vitium vitio vortitur Pers. III. 1, 59.

corvum ad me veniat velim Aul. IV. 6, 4. ille huc veniat velim Most. V. 1, 26. vel potius cum Acidalio, *illum*. virum veniat velim Cas. III. 2, 29. obviam veniat velim Poen. V. 5, 9. veniret miles velim Truc. II. 5, 28. vel cum Goellero, *veniat militem velim*, vel, ut prorsus exaequetur versus prioribus illis, *militem veniat velim*.

Verum est verbum Truc. IV. 4, 52. Verum illud verbumst volgo quod Andr. II. 5, 15. verbum vere in te Andr. V. 3, 14. verbum — ac vere Eun. I. 2, 95.

veriverbio Capt. III. 4, 56.

verum illud verbum — vetus Merc. IV. 4, 51. verbum vetus Poen. I. 1, 7. Cist. II. 1, 29. vetus verbum Adelp. V. 3, 17. vetere verbo meo: Cicero ad Caesarem Epist. VII. 5, 9.

vis invitum Epid. II. 2, 64. vi atque invitam Mil. II. 5, 59. invitus me vides: vivam tamen Cas. II. 4, 23. invitus do- veniam Epid. V. 2, 65. inveniet veniam Rud. prol. 27.

neque Vesperugo, neque Vergiliae Amph. I. 1, 119.

vinnula, venustula Asin. I. 3, 70.

vini vitio Aul. IV. 10, 15. Truc. IV. 3, 54.

Quia vaniloquus, vapulabis Amph. I. 1, 225.

Vah! vapulo Truc. II. 4, 6.

Ego vapulando, ille verberando Adelp. II. 2, 5. ubi coniuncta cum homocoteleuto allitteratio eleganter monstrat atque erigit antithesin sententiae.

Vincite, verberate Aul. II, 5, 21. Verberatum, vinctum Poen. IV. 2, 11.

Veneri vovi Curc. I. 1, 72. Venerin pervigilare te vovisti ibid. I, 3, 25. Veneri velle votum solvere Rud. prol. 60. Venerem vomere vis Curc. I. 1, 74. cf. Cas. III. 6, 10. nisi me vis vomere. meam Venerem vituperas Curc. I. 3, 36. Venerem - veneremur Rud. II. 1, 16. Voluptas, Venus, Venustas Bacch. I. 2, 7. Venus ventura est nostra Fragm. ap. Gellium XVIII. 12.

Vaenire — vilius Curc. II. 1, 28.

vadatum amore vinctumque Bacch. II. 2, 5.

Vera cantas: vana vellem Most. IV. 2, 64. vera isthaec velim Amph. II. 2, 204.

varius virgis, vigila Mil. II. 2, 61. varientur virgis Poen. prol. 26. verbum, aut virgae ibid. 18. Si cum Acidalio *verbo aut virga*, magis erit aperta antithesis.

non - enam vitam tuam vitiosa nuce Mil. II. 3, 45.

varum, ventriosum Merc. III. 4, 54. Cf. Fragm. ap. Festum v. Valgos.

venio visere Rud. I. 2, 6.

Deos volo consilia vobis vostra recte vortere Trin. V. 2, 31. ubi scite restitutum *vobis* aliquam ab allitteratione commendationem habet. Monuit etiam nuper Lindemannus.

vietus, vetus, veterosus Eun. IV. 4, 21.

vetulae, varicosae, vabrae Pomponius ap. Non. p. 143, 28.

viget, veget: Varro ap. Nonium p. 183, 6. verbum idem bis, diversis formis, ad augendam atque intendendam vigoris significationem: cf. sup. p. 364. wie er leibt und lebt: sensu alio, eadem verborum similitudine.

nec vola, nec vestigium: Varro bis ap. Nonium p. 416.

veni, vidi, vici. simile Terentianum supra laud. e Phormione: factumst, ventumst: vincimur.

II. Allitteratio in una postrema et altera prima syllaba.  
 Vel etiam in una prima, et litteris vocis alterius mediis.

Non neglectum Pontano genus, fol. 128. b. 129. a. qui habet Virgiliana, *oceanò nox, Fama malum, flamma manu* Aen. VIII. 694. *date tela* IX. 37. *te tendere* V. 27. *glauca canentia* Georg. II. 13. *siliqua quassante* Georg. I. 74. e Lucretio, *vera ratione repulsa* II. 644. *loca candida* V. 777. Cf. si placet, F. Ursinus in Virgilio coll. script. gr. illustr. ad illud, quod p. 332. commemoravi, notatum a Servio, *Dorica castra*. Deinde huc pertinent laudati Mureto in Tibull. I. 1, 7. loci Tibulliani. Add. G. I. Vossius p. 154. a. p. 155. b. Nonnulla etiam apud Gifanium Collect. Lucret. v. Geminaciones, et apud Broukhusium in Tibull. I. 1, 3. etsi haec apud Broukhusium Ciceroniana, *pleniore ore, praeclara rara*, et commemoratum a Gifanio *O fortunatam natam*, malo mox inter homoeoteleuta ponere, quam hoc loco. Sed Mureti observationem viri elegantis, idoneique harum rerum arbitri, audisse iuvabit: *apparet, hunc poetam elegantiam quandam putasse esse in eiusdem syllabae continuata repetitione. ut supra, Me mea: et nuic: Ipse seram: et mox, poma manu: et infra, multa tabella: et, sicca canis, et tam multis locis denique, ut constet, hoc non casu, sed dedita opera factum. Et hoc quidem, dedita opera, mihi videtur nimium. Etsi de parte concedo. Verum alia, tum huius generis, in quo nunc versamur, tum illius, de quo absolvimus, sponte venisse scribentibus, et quum venissent, accepta esse cupide; alia non animadvertenti sese obtulisse censeo. Quod e Comicis non multa habeo huiusmodi annotata, non tam penuria factum exemplorum, quam mea negligentia, puto. Quippe facile talia fallunt oculos. Ex supra allatis tum alia huc referri possunt, tum maxime, de quibus p. 368. dictum: ruere rebamur Amph. V. 1, 43.*

*petere re recenti Trin. IV. 3 (4), 8.*

et

te tecta tacitaque Hecyr. III. 3, 28.

ostentam, tantam, tam brevem, tam — Eunuch. III. 5, 57.  
 quibus locis ad allitterationem primarum syllabarum accedit  
 postremarum syllabarum cum primis allitteratio. Et in postre-  
 mo quidem loco observandum etiam, consonare inter se *ten-  
 tam tantam*. Tum haec :

emi minimo minas Epid. II. 2, 111.

Pro hasta talus Bacch. I. 1, 38.

sonitu ac tumultu tanto ibid. V. 2, 1.

mamma, madere Most. I. 4, 7. Cf. sup. p. 356.

caetera rape Trin. II. 2, 12.

gerere rem ibid. III. 5, 43.

tumultuoso sonitu ib. V. 2, 52.

alba barba Bacch. V. 1, 15. Verum hoc in loco omnia  
 sunt allitteratio : primo *ba bar* ; deinde ipsa vox *barba* in  
 se allitterationem habet ; denique quum cognatae inter se  
 sint liquidae *l* et *r*, totae voces *alba* et *barba* inter se con-  
 sonant.

operae pretium. allitteratio satis acuta, ad meas quidem  
 aures, qui reputem, *operae* Romanis in usitata sermonis ala-  
 critate sonuisse *oprae*. Unde est in pentametro Ennii: Qui-  
 bit pro factis reddere *oprae pretium*. Alibi *per* syllaba in *opera*  
 cum alia syllaba *per* consonat : cf. p. 365. et quod postea pro-  
 feretur, *opera expertus*.

Non opus autem, ut prorsus inter se conspirent syllaba  
 vocis prioris postrema, et vocis alterius prima. Auditur al-  
 litteratio, etiamsi differat aliquid inter vocales. Qua re recte  
 Pontanus annumerat talia : *agitata tumescere* Georg. I. 557. *aere  
 ruebant* Aen. I. 55. *frustra moritura reliquit* Aen. IV. 415. Et  
 in Plauti loco Bacch. I. 1, 38. quum aliae ibi praecedant et  
 sequantur allitterationes, non puto de nihilo esse concentum  
*ca cum ca* in verbis *pro lorica malacum capiam pallium*.  
*Gustato tute* Pseud. III. 2, 96. *ta to tu te*.

Scio hanc late extendi disputationem, si quis velit omnia comprehendere. Veluti Virgilianum, ex Georg. II. 224.5.

— *vicina Veseo Ora iuga*, —

a suavitate commendat Gellius VII. 20. *Nam vocalis in priore versu extrema eademque in sequenti prima canoro simul atque iucundo hiatu tractim sonat.* Cf. Pontanus 117. b. Vossius p. 152. b. Miscet ibi diversa Gellius. Quamquam a nostra disputatione neque hoc alienum est, quod ille e Catullo apponit, *ebriosa acina*. Nam sane *a* litteram elidere in consequentem *a* litteram, ita est poetis epicis antiquioribus usitatum, ut non insuavem auribus fuisse eum contentum appareat. Sed tum *a* littera, quae eliditur, solet brevis esse: quo differunt haec exempla ab exemplo Catulli. Apud Plautum haec mihi se offerunt non quaerenti: *meo occidistis* Amph. V. 1, 14. *Immo omnes* ibid. 52. *altera apprehendit* ibid. 64. *pura actutum* ibid. 74. *merito omnes* Aul. II. 1, 5. *obtunso ore* Cas. V. 1, 8. *properato opus* Mil. III. 1, 210. *inclyto, Ope* Pers. II. 3, 1. *periculo orbas* Rud. II. 3, 19. et illa, supra prolata: *aqua advorsa, via alta, illi illico, oro obsecro, tanto opere, ostio obdo, uno ore, vi in via*. Qui numerus, facile ille augendus haud dubie, ut receptam fuisse, ac minime iniucundam, eam elisionem docet, ita commonefacit, ne artem iis in locis, ubi nulla est, quaerites. Non nego tamen fuisse artem. Sic vim elisionis huius prorsus singularem percipio ex versibus Attii ap. Nonium p. 504, 31.

*Hac ubi curvo littore latrat u*

*Unda sub undis labunda sonit.*

Retineo enim, quod ibi vulgo legitur, e. g. in Parmensi 1480. *latratu*, donec *latrans* meliorum auctoritate librorum comprobatum fuerit. Aliud Plauti est in re minuta, sed exquisitissimum, et ex natura sermonis penitissima petitum artificium, Trin. IV. 2, 62.

CH. *Lubet audire. SY. Illi edepol, ill i, ill i, illi. vae misero mihi.*

Quantum *illi* praeclare restituit Hermannus. De hiatu eo,

quem nunc hiatus dicimus, quae Gellius l. 1. disputat, minus faciunt ad rem nostram. Non quod nulla sint hiatus eius exempla apud poetas latinos: sed tum Epici solent variare vocales, ut *Dardanio Anchisae*, *Neptuno Aegaeo*, *femineo ululatu*, *turrigerae Antemnae*, *castaneae hirsutae*, *cupressifero Erymantho*, *Phocaïco Erymantho*, *Ionio immenso*; et *Insulae Ionio*, *Ilio alto*. Pauca putem inveniri huiusmodi: *pati hymenaeos*, *Pelio Ossam*. Plautus vero quos hiatus habet, ut habet multos, de quibus Hermannus dixit in *Elementis*, et in *Epitome*, et *Lingius Quaest. Plautin. Lib. I. in iis si sunt nonnulli*, in quibus concurrunt *o o*, *ee*, *aa*, ut *Amph. IV. 3, 16. Men. IV. 2, 104. V. 3, 6. 5, 37*. casui id tribuendum est haud dubie.

Est etiam allitteratio quaedam primae syllabae cum syllaba vel litteris alterius vocis non postremis, sed mediis.

Thesaurum auri Aul. prol. 7.

somnum - omnem Most. V. 2, 1.

obsecro — mox seco Mil. V. 13. quem lusum observavit

Lindemannus. ibi accedit homocoteleuton.

post illum mille Truc. II. 6, 4. si haec vera scriptura.

Intellexisti lepide ibid. III. 2, 13.

Blitea et lutea ibid. IV. 4, 1. cum homocoteleuto.

partu ardua, ap. Ennium.

ligna atque ignis, vel igneis: in quo philosophatur Lucretius I. 913.

Quo referre licebit, tamquam in singularem classem, supra a me aliis locis posita, *exossatum os*, *exornatis ossibus*, *exuberat umbra*, *clara exclamat*, *ecastor cotidie*, *ecastor cassa*, et alia nonnulla ex littera *c*, *diem adimere*, *doctum atque eductum*; alia ex aliis litteris, ut *effregisti*, *fatue*, *foribus*, *vegrandi gradu*, *amoenis moenibus*, *notum - cognatum*, *paene expedit*, *peripropere*, *saltum obseptum*, *intendi tenus*, *vis invitum*. Ad datur *expuli periculo* Bacch. IV. 9, 41. et, in quo minus quidem

fortis, sed tamen non inobservabilis fuit, ut puto, allitteratio, *Capitalique ex periculo* Rud. II. 3, 19. *capitali periclo* Trin. IV. 3 (4), 81. Denique huc pertinent *nunquam quicquam*, et similia, de quibus statim dicturus sum. Veluti in *nunquam quicquam* quae vocis prioris *nunquam* allitterationem facit cum littera initiali vocis *quicquam*. Tum *prosit, obsit*, Heaut. IV. 1, 30. Et haec, *amores mores, nomen omen, pannis annis, plorat orat, scibo ibo*: quae malui inter homoeoteleuta ponere.

### III. Allitteratio in mediis vocibus.

Hoc genus saepe cum homoeoteleuto coniunctum est, at non semper; neque opto habet homoeoteleuto. Veluti *dictum factum* homoeoteleuton est. Fac *dictum facto*: non amplius homoeoteleuton erit, sed manet allitteratio *ct ct*. *nunquam cuiquam* allitteratio cum homoeoteleuto: at eadem foret allitteratio, si qua legeretur, sine homoeoteleuto, *nunquam cuique*. Stich. I. 3, 18. 9. *ornamentis - Inanimentis explementum quaerito*. partim homoeoteleuton *mentis mentis*, partim in medio allitteratio *ment ment*.

neque-fictum, neque pictum, neque scriptum Asin. I. 3, 22.

pro equo lectus Bacch. I. 1, 39.

furtum, scortum, Men. I. 2, 59.

vincium, addictum Poen. IV. 2, 11.

Ad messim - missus ibid. V. 2, 60. Non annotavi supra in *m*, quia litterae *m* hoc loco per se non fortis allitteratio, at fortis est sequente altera in *ss*.

factum plector Trucul. II. 3, 22.

facto, aut dicto Amph. I. 1, 15. dictum aut factum Truc. IV. 1, 2. dictum ac factum Andr. II. 3, 7. Heaut. IV. 5, 12. dictis et factis Eun. V. 4, 19. dictum factum Heaut. V. 1, 31. dicta-factaque Catull. 50, 9. cf. 76, 8. pactum aut dictum Afranius ap. Non. p. 509, 23. non docti, sed facti: Cicero p. Mil. c. 4.

sarta tecta Trin. II. 2, 56. quod olim haud dubie *sarcta tecta* fuit. Cf. Cicero Epist. Famil. XIII. 11, 2. 50, 3. ibique Cort. et supra *sane sarctaeque*.

nemo homo, homo nemo, nemini homini, homini nemini, nemo hominum, Pers. II. 2, 29. Mil. II. 5, 61. Asin. II. 4, 60. IV. 1, 11. Cas. II. 4, 15. Eun. III. 5, 1. IV. 6, 19. V. 8, 52. Adolph. II. 3, 6. Hec. III. 1, 1.

Quidquam quisquam cuiquam, quod conveniat, neget: Ennii versus, cum reprehensione commemoratus in Lib. ad Herennium IV. 12. Quaeritur, an etiam reprehensus fuisset Cicero. Confert Columna p. 508. versum Plautinum:

Quorum nunquam quicquam quoiquam - Pseud. I. 2, 2. cui similia, *nunquam quicquam, nunquam quisquam, nunquam quemquam, nunquam quoiquam, nusquam quicquam, usquam quicquam, unquam quicquam*, inveniuntur saepissime. Quae nunc propter allitterationem *q* litterae in mediis vocibus affero. Pertinent eadem ad superiorem disputationem de *q* littera p. 366. et ad praecedentem II. Selegi ea, in quibus magis quam in aliis cumulatur *q* vel *c*. Neque unquam quicquam Capt. I. 2, 55. unquam cum quiquam viro Cist. I. 1, 88. Nusquam equidem quicquam deliqui Men. V. 2, 50. Neque quicquam unquam Rud. I. 3, 38. Neque unquam quisquam est, quoius Trin. II. 4, 152. nunquam quicquamst quod queat ibid. III. 3, 72. Neque quisquam unquam Truc. II. 1, 20. Nunquam etiam - usquam, quin Eun. V. 8, 62. Cuiquam aeque audisti commode quicquam Heaut. IV. 3, 7. an quisquam usquam - aeque miser Hec. III. 1, 15. Nunquam commodius unquam - loqui Heaut. III. 2, 48. Quae nunquam quicquam - commeritast Hec. III. 5, 36. unquam cuiquam contumeliosius Phorm. II. 3, 1. Non nego fuisse in his etiam homocoteleuti *quam* vim aliquam. Hoc volo, *q* litterae in mediis vocibus eam vim esse, ut repetita percipiatur, et percepta fuerit olim, etiam non accedente homoeoteleuto. Ennii versus, si fuit senarius, ut nulla est causa, cur truncatum aliqua sui parte esse putes, eo memo-

rabilis est, differitque ab exemplis Plautinis, quod sub ictum semper *quam* cadit.

usquequaque Mil. IV. 3, 41. Poen. prol. 105. Rud. V. 2, 7. sursum vorsum Capt. III. 4, 123. rursum vorsum Epid. II. 2, 65. recessim rursum vorsum Amph. V. 1, 60. sursum deorsum cursites Eun. II. 2, 47. deorsum vorsum Adolph. IV. 2, 36. cursari rursum prorsum Hec. III. 1, 35. rursus ac prorsus Varro Andabat. ap. Nonium p. 384, 32. rursus prorsus reciprocatur Ennius ibid. et p. 165, 11. modo sursum, modo deorsum Lucilius lib. XXVII. ap. Nonium p. 21, 5. p. 200, 18. sursus - vorsus Lucretius II. 188. prorsus - ex transverso Pseud. IV. 1, 45. dextrovorsum avorsa Rud. I. 2, 87.

arse verse (vorse). Festus.

arce et urbe orba Ennius Andromacha ap. Cic. D. Tusc. III. 19.

urbes verbis qui inermis capit Bacch. IV. 9, 42. *rb rb m*. Accedit homoeoteleuton in *s*, quod distinctius erit, si *inermis* scribas cum Acidalio p. 215. Quamquam ad aures non multum differebat. Praecedat allitteratio in *m*, *magnifico milite*.

auxilio exsili Ennius ap. Cic. loco paullo ante laud. auxili, praesidi Cas. III. 5, 2. consilium auxilium Andr. II. 1, 19. cf. 20.

Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus Amph. V. 1, 10. Hoc haesitavi utrum hoc loco ponerem, an inter homoeoteleuta. Sane *strepitus*, *crepitus*, plenum ac perfectum homoeoteleuton est. At in *sonitus*, *tonitrus*, non perfectum. Caeterum manifesta in hoc exemplo *ὁνομαστονεία* est.

strepitus, fremitus, Poeta apud Caelium, Cic. Epist. VIII. 2, 4.

Tenebrae, latebrae: bibitur, estur: Poen. IV. 2, 13. Si esset *tenebrae latebris*, homoeoteleuton nullum, allitteratio foret eadem.

Melius, peius, prosit, obsit Heaut. IV. 1, 30. Elegantissime. Verum hic quoque non tantam in homoeoteleutis vim esse

dixerim, quanta est in eo, quod in mediis vocibus concentus quidam sentitur, *eli ei, os obs*. Accedit quod voces singulae eadem sunt longitudine ac mensura. Ut in exemplis proxime praecedentibus, et supra in *morigera - munifica*. Sic Trucul. II. 4, 68. in *assiduo* paronomasia luditur elegantissime, allitteratione primarum syllabarum, homoeoteleuto, et aequali vocabulorum mensura, *accubuo*.

cautim et paulatim Heaut. IV. 8, 29.

pauillum - cavillibus Truc. III. 2, 18.

efficiam - officium ib. IV. 2, 1.

ullam in illam Eun. IV. 7, 37.

opera expertus Bacch. III. 2, 3. Trin. IV. 1, 7. experiri - operis Capt. II. 3, 69. Cf. supra in *p* laudati loci Capt. II. 3, 65. Pseud. IV. 2, 50.

rapere properant Trin. IV. 3, 37. *per pr per*. Aperite hoc aperite prope ibid. V. 2, 50. peri perpropere Mil. II. 4, 10. *per per pr per*. Qualia dum perpendo, ne his quidem, *capite operto* Amph. V. 1, 42. Curc. II. 3, 9. *operto capite (capite operto)* ib. III. 19. *operto capitulo* ib. II. 3, 14. *aperto capite* Capt. III. 1, 15. et 16, suam quandam allitterationis vim negare audeam. Praesertim quum illud, *capite operto*, sollemnis fuisse in veteri superstitione formula videatur. Cf. Mostell. II. 2, 90. Poen. III. 4, 34. Consonabant inter se *p p, t t*.

Multa eiusmodi aures facile fallunt, et facilius etiam oculos. Ut apud Terentium,

Laborat e dolore Andr. I. 5, 33.

non animadvertissem allitterationem *or or* nisi arrectas memoria homoeoteleuti *labore - dolore*, quod paullo post proferam, aures habuissem.

## IV. Homocoteleuton.

Homocoteleuti quum multa sint ac varia in sermone latino exempla, viros doctos id semper genus inprimis delectavit, quo Romani recentiorum populorum poesi, cuius artificium in homocoteleuto positum est maximam partem, praecire, et quasi procludere visi sunt. Quod bipartitum esse constat, dum aut versus continui duo concluduntur homocoteleuto, aut unius versus membra, hemistichia maxime, homocoteleuto sibi inter se respondent. De quo genere mihi nunc sufficiunt, quae post aliorum virorum doctorum, ut Casauboni ad Persium I. 93. sqq. Interpretum Virgilii in Aeneid. IV. 256. 7. et Lucani in l. 329. Burmanni in Anthol. Lat. T. II. p. 250. observationes. docte accurateque disputat L. Santenius in Terentian. M. p. 202. sqq. p. 215. sqq. Etsi difficile est in tali argumento ita elaborare, ut nihil observandum aliis relinquant. Sic non memini mentionem a Santenio, vel ab iis quos laudat Santenius, Valerii Catonis fieri. *Haec Veneris vario florentia sertae decore, Purpureo campos quae pingunt verna colore:* Dir. 20. 21. et in altero carmine: *fortunati — beati*, unum in penthemimeri, alterum in extremo versu; et sic ibid. *tecum — mecum*. Quo etiam illud referre licet: *Ipsae non silvae frondes, non flumina montes.* et: *tauro Iove digna, vel auro.* et hoc Virgilii Georg. I. 226. *Expectata seges vanis elusit avenis.* certe hoc, *avenis*, non deterius est scriptura altera, *aristis*; et fortasse elegantius *avenis*, quum *aristis* praecesserit v. 220. Deinde nescio an hunc versum annotaverint viri docti, ex epitaphio Lucceii, Anthol. Lat. IV. 15. Wernsdorf. P. L. M. Tom. III. p. 206. v. 5. *Me desolatum, me desertum, ac spoliatum,* et hunc, Lib. ad Herennium IV. 12. *Flentes, plorantes, lacrimantes, obtestantes.* Aliud memorabile elegantia sua homocoteleuti exemplum est, quod Virgilius fecit, ope elisionis, Aen. III. 549. *Cornua velatarum obvertimus antennarum.* Quae autem vetus quaestio est, ac dubitatio, utrum plus sit

in homoeoteleutis hisce artificii, an negligentiae, in ea Sante-  
 nius mihi infra id, quod concedi potest, consistere videtur,  
 maxime p. 218. Certe Catonem illa non quaesivisse, sed quum  
 se offerrent, non sine cupiditate arripuisse puto. Et Virgilio,  
 qui poeta nihil incogitate scripsit, quis temere excidisse talia  
 credat? Ego Virgilium, etiamsi nullam illud suavitatem ad  
 aures romanas habuisset, tamen aliquoties usurum fuisse ho-  
 moeoteleuto arbitror, ut etiam ab hac parte similis Homero  
 feret. Itaque in Virgilium valet quam maxime, quod Sante-  
 nius p. 202. scribit pereleganter: ars simulat casum. Sen-  
 tiebat ille aliquem esse in homoeoteleuto leporem, et affecta-  
 vit homoeoteleuton aliquoties, sed noluit affectasse videri. At  
 semel ita, ut quivis et percipiat homoeoteleuton, et factum  
 esse dedita opera intelligat: *Limus ut hic durescit, et haec  
 ut cera liquescit*, Ecl. VIII. 80. cum observatione I. H. Vossii.  
 De iis nunc loquor, quae in binis syllabis homoeoteleuton ha-  
 bent, ut Aen. IV. 256. 7. VIII. 646. 7. Aen. III. 549. et hoc  
*durescit - liquescit*. Eorum, quae in una syllaba, et numerus  
 infinitus, et diversum in diversis locis iudicium est. Ut Hein-  
 sii est ad Virg. Aen. IV. 8. VII. 335. minime inepta sententia,  
 scripsisse Virgilium: *unanimam — sororem, unanimos fra-  
 tres*; et contra: *exanimem — amicum*. ad quam normam  
 Broukhusius Propertii versum II. 7, 47. (9, 9.) conformavit. Et  
 haec quidem norma adversatur homoeoteleuto. Sed tamen in  
 universum nullum fuisse eius homoeoteleuti odium, nullam fugam:  
 ut oratores taceam, qui saepe respondentium sibi inter  
 se orationis membrorum conclusiones, vel locos graviore alios,  
 homoeoteleuto distinguunt: innumeris exemplis poetae docent  
 elegiaci, quibus, ex quo ita tractare elegiam coepere, ut di-  
 stichon quodvis unam quasi stropham efficeret, nihil hoc of-  
 fensionis, sed magis nescio quid gratiae habere visum est, si  
 pars pentametri posterior homoeoteleutos esset parti priori.  
 Idemque Horatio placuit in metro choriambico, quod Ascie-  
 piadum primum vocatur. Veteres elegorum scriptores, ut Ca-

tullus, non ita frequentant hoc genus; et Tibullus mihi eiusdem minus, quam Propertius, cupidus esse videbatur: sed non numeravi exempla. Gaeterum hoc in genere ne illud quidem homoeoteleuton negligendum est, longe illud frequentissimum, quod fit in una consonante. Etsi enim non multum vim habet, ferit tamen aures in metris eiusmodi, quale est elegiacum, et choriambicum illud. *Contactum nullis ante cupidinibus. Et caput impositis pressit Amor pedibus. Maecenas atavis edite regibus.* Addam alia nonnulla ea specie atque forma, de qua paullo ante dicebam. Tibullus III. 5, 2.

*Unda sub aestivum non adeunda Canem.*

ubi Broukhusius comparat Attium, Phinidis, ap. Nonium p. 504, 32.

*Unda sub undis labunda sonit.*

E Comiciis huc refero Novium Exodio ap. Non. p. 116, 26.

— *cuius vox gallulascit, cuius iam ramus roborascit.*

Plautum Bacch. V. 1, 8.

*Chrysalus me hodie laceravit: Chrysalus me miserum spoliavit.*

versus anapaesticus, Hermanno iudice, Elem. p. 414. Haec homoeoteleuta in versu uno. Tum versus bini, vel terni, homoeoteleuti. Varro, ut est a Scaligero Coniect. p. 84, p. 121. et ad Manil. V. 145. p. 560. restitutus:

*Et orthophallica attulit psalteria,*

*Quibus sonant in Graecia dicteria,*

*Qui fabularum collocant exordia.*

Dubitat nescio quid Santenius l. l. p. 204. Hoc, puto, Reisigio nostro obversabatur, quum prologum agebat, Bibliopolae Ienensis nomine: *dum inter typhethas Versantur atque corriguntur specimina Hulas missa ac remissa per discrimina Rerum, et multorum casuum sufflamina.* Mihi autem illud in mentem revocat locum Aristophanis, in quo non de nihilo videbatur homoeoteleuton esse, Ran. 89. sqq. οὐκὸν ἕτερό' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια, τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια,

*Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα.* Illud in Varrone dubites, an versu primo *Atque* scribendum sit, vel etiam *Neque*, ut vulgo in Romana Laueri, Parm. 1480. aliis. Poeta ap. Ciceronem Tusc. I. 28. de Orat. III. 38. Non. p. 122, 17.

*Caelum nite scere, arbores fronde scere,  
Vites lactificae pampinis pubescere,  
Rami bacarum ubertate incurviscere,  
Segetes largiri fruges, florere omnia,  
Fontes scatere, herbis prata convestirier.*

Adscripsi omnia: nam poeta est, quisquis est, elegantissimus. Non placet mihi quidem ita delitescens verbum *scatere*, quum reliqua verba tam plenum sonent. Quare malim:

*Fontes scatere, prata convestirier  
Herbis.*

atque inde desinebat, nisi fallor, enumeratio illa, incipiebatque maiori ambitu sententia. Ennius Andromacha ap. Cic. Tusc. I. 35. III. 19. et 22. de Orat. III. 58. p. Sextio c. 57. Non. p. 181.

*Haec omnia vidi inflammari,  
Priamo vè vitam evitari,  
Iovis aram sanguine turpari.*

Hoc observatum G. I. Vossio Institut. Orator. ubi de homocoteleuto, sive homocatalecto, V. 5, 2. Idem Ennius eadem fabulâ:

*Vidi, videre quod me passa aegerrime,  
Hectorem curru quadriiugo raptarier,  
Hectoris natum de muro iactarier.*

Quo in loco, ut in illo Varronis, quem paullo ante protuli, apparet, quam habeat observatio homocoteleuti utilitatem criticam. Disturbatus ad nos locus pervenit Ennii: versus duo priores Cicero Tusc. I. 44. tertium Varro de L. L. p. 140. HSt. p. 583. edit. Spengel. servavit. Coniunxit, et, quantum opus, emendavit Scaliger Coni. p. 163. ductus partim sententiarum similitudine et *παρολληλισμῶ*, partim opportune observato homocoteleuto: nam omnia ille huius aetatis artificia,

omnes delicias, imbiberat. Apud Plautum minori exempla numero, quam aliquis putet. Sed fateor me non attendisse ad hoc genus. Dabo quae annotata habeo. Capt. I. 1, 17. 8. 9.

*Prolatis rebus Parasiti venatici*

*Sumus: quando rure redierunt, molossici,*

*Odiosicique, et multum incommodistici.*

Cas. II. 7, 1. 2. 3.

*Si nunc me suspendam, meam operam luserim,*

*Et praeter operam restim sumptifecerim,*

*Et meis inimicis voluptatem creaverim.*

Cistell. II. 1, 48. sqq.

*Nisi ego teque, tuamque filiam, meque hodie obruncavero:*

*Postea autem cum primo luci cras nisi ambo occidero:*

*Et quidem hercle nisi pedatu tertio omnis efflixero.*

Possis etiam Post autem, ut Merc. II. 3, 114. Bacch. I. 1, 3. 4.

BA. *Pol magis metuo, mihi in canendo ne defuat oratio.*

BA. *Pol ego metuo, lusciniolae ne defuerit cantio.*

Si quis defuerit tueri in versu priori voluerit, transponendum erit. Ego illud amplector, ut sibi respondeant ordine *ne defuat oratio, ne defuerit cantio.* Mil. II. 1, 1. 2.

*Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas,*

*Si ad auscultandum vostra erit benignitas.*

Pacuvius Teucro: *poenitudine = vastitudine.*

His, si cui aliena a re nostra videbuntur, ut fateor esse aliena quodammodo, facile apud quemvis antiquitatis amantem excusationem conciliabit ipsorum, quae posui, exemplorum elegantia atque venustas. Ego non tam de hoc genere, quam de homoeoteleuto dicturus eram eo, quod arctius cum alliterationis generibus I. II. III. coniunctum est atque cognatum: quum fit homoeoteleuton in versu uno, atque in vicinis sive continuis vocibus. Quamquam non posse hanc quaestionem ab altera divelli ac separari apertum est. Et est in hac, quod priorem illam sustentet atque illustret. Quod enim in conti-

nuis vocibus sine haesitatione admiserunt scriptores, cur ab eo in verbis, quae sunt aliquo orationis intervallo disiuncta, tam anxie, quam visum est nonnullis, se abstinuerint?

Iam huius generis si vellem collectionem instituere, ridiculus mihi viderer. Dabo pauca, speciminis causa, eo maxime consilio, ut in illum omnis latinae consuetudinis atque elegantiae thesaurum, Plautum, oculos convertam omnium: alia, qui volet, ex aliis, quibus sunt a me posita locis, in I. III. conquirit. Tenendum autem, non omnia eodem ad aures pondere esse, quum probabile sit, multas ultimas syllabas valde negligenter, atque obscuro sono, pronunciatas a Romanis fuisse, ut non multum animadverteretur homoeoteleuton. Et consulto, ut etiam supra in genere I. feci, ad sonora, singularia, arte facta, admisceo minuta, quotidiana, non facile nostris quidem auribus observanda, vel etiam ita nobis usu trita, ut non amplius observentur. Non multum enim, me iudice, sonora et singularia illa probarent, nisi minuta et quotidiana accederent, quae communem latine loquentibus fuisse, et dominatum esse in omni oratione conformanda amorem allitterationis huius ostendunt. Primum esto, quod magni nomine auctoris commendatur:

veni, vidi, vici.

Id iam commemoravimus supra propter allitterationem *v* litterae. Nunc propter homoeoteleuton in *i*. Denique, ut prorsus perspiciatur vis dicti atque elegantia, non negligenda est aequalis verborum mensura, *veni, vidi, vici*. Quod paullo ante in Terentii loco Heaut. IV. 1, 30. observavimus; idemque observandum in aliis locis statim proferendis.

vidi, cognovi, interfui. Cicero Epist. ad Famil. VI. 12 (13). init. Sed totum locum adscribam, quum aliud praecedat homoeoteleuton: *Omnia promissa, confirmata, certa, et rata sunt, quae ad reditum et ad salutem tuam pertinent. vidi, cognovi, interfui.*

insipui, conclusi, condepsui: Pomponius ap. Non. p. 59, 12.

Sume, posce, prome Capt. IV. 2, 115.

rape, clepe, tene, - Bibe, es, fuge, Pseud. I. 2, 6. 7.

rape, trahe, fuge, et late Trin. II. 2, 12.

Cape, caede, Lyde, come, conde: Atilius supra laud. ap. Varron. L. L. p. 79. HSt. *Lyde* ibi satis videtur tutum esse. Si quid tamen desiderandum sit, ego imperativum desiderem mensura ea, qua sunt caeteri imperativi, bisyllabum.

ede, bibe, lude, nescio qui primum dixerit. edi, bibi, lusi, Livius Andronicus. Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti, Horatius. Omnia cum homoeoteleuto.

Tum quae nota sunt e Quintiliano IX. 3, 77.

Hecuba, hoc dolet, pudet, piget.

Abiit, excessit, erupit, evasit.

vel *evasit*, *erupit*. ut quod fortius, ultimo reservetur loco. Fortius autem *erupit* etiam eo videri potest, quod fortior, ac profundior in *rup* sonus sit, quam in *vas*. Habet etiam alia nonnulla Quintilianus. Ex Plauti fonte, tam large fluente, nihil: sive e Comicis exempla non satis tuta Quintilianus, sive Plautum non satis castigatum, non satis idoneum auctorem esse existimaverit. Neque alii rhetores grammaticique Plauto usi sunt hac in re. Parum gravia, neque studiose quaesita sunt homoeoteleuti exempla apud Sosip. Charisium IV. 251. Diomedem II. 441. sqq. Donatum 1774. P. Non magis, quae Rutilius Lupus II. 14. p. 123. Aquila Romanus c. 26. p. 169. Praeterea quod *ῥμοιόπτωτον* iidem omnes et *ῥμοιοτέλευτον* distinguunt, inutilis ad rem nostram distinctio est.

Pudet pigetque Adelph. III. 3, 38. pudere — pigere Trin. II. 2, 64. lusus in sententia.

abiit, abscessit: Truc. IV. 4, 31. Abiit, periit, navem ascendit: Adelph. IV. 5, 69.

Profundat, perdat, pereat, Adelph. I. 2, 54.

Iactor, crucior, agitor, stimulator, vorsor — exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: Cist. II. 1, 4. sq. decies *or* in duobus vel tribus versibus: his cum allitteratione in pri-

ma syllaba, *ff di di di*. Eminor, interminorque Capt. IV. 2, 11.

Spes atque opes Amph. V. 1, 1. spes opesque Capt. II. 3, 85. spes, opes, ibid. III. 3, 2. Opes, spes, Pers. II. 3, 2. *spem*, aut *opem* Rud. I. 3, 21. opesque spesque ibid. IV. 4, 101. res, fides, Most. I. 2, 64. et res, et fides Truc. I. 1, 24. rem fidemque Curc. IV. 2, 18. Truc. I. 1, 38.

spes — res: ap. Quintilian. IX. 3, 75. Addo Sallustium: Cortius ad Catil. 20, 13. qui praeter alia Ciceronis locum laudat inprimis luculentum:

sine re, sine fide, sine spe, sine sede: pro Caelio c. 32. Et haec quidem cum manifesto sententiae acumine dicta sunt, ut non male ad paronomasiam referantur a Cortio. Praeterea illud maxime, quod a Quintiliano laudatur, non est homoeoteleuti in verbis continuis atque vicinis exemplum, sed homoeoteleuti in diversis membris: cuius mentionem feci p. 389.

Neque illius homoeoteleuti, quod in una consonante positum, exempla desunt. Iusque fasque Cist. I. 1, 22. si ius, si fas Hecyr. III. 3, 27.

Exsul — expes, expers, Attius ap. Non. p. 12, 9. *pes pers*. prudens sciens Eun. I. 1, 27. imprudens, quam sciens Hec. V. 4, 40. inscientem atque imprudentem Heaut. IV. 1, 20. prudens et sciens Cicero ad Caecin. Epist. VI. 6, 11. sciens prudensque Caelius in Cic. Epist. VIII. 16, 10. imprudente atque inopinante Curione: Caesar ap. Cortium ad Cic. Epist. Fam. V. 6, 1.

praesens, absens Eun. I. 2, 112. Paronomasia manifesta. cf. ibid. V. 8, 29. Adelp. I. 1, 48. praesens ac sedens Cicero de Orat. II. 47.

Procax, rapax, trahax, Pers. III. 3, 6. quibus deinde vs. 16. respondent: edax, furax, fugax. petax, procax, Heaut. II. 1, 15.

optumi maxumi Men. IV. 2, 3.

Ut comici, cinaedici, scenatici: Varro ap. Non. p. 176, 20.

pugilice atque athleticè Epid. I. 1, 18. pancreaticè atque athleticè Bacch. II. 3, 14. dulicè et comoedicè Mil. II. 2, 58. magnificè, patricèque, amicèque Cas. III. 6, 4. *amicèque* delet Hermannus Elem. p. 390.

Primulo diluculo Amph. II. 2, 105. primulo crepusculo Fragm. Parasit. pig.

vinnula, venustula Asin. I. 3, 70. caltulam, aut crocotulam Epid. II. 2, 47. Vetulae, edentulae Most. I. 3, 118. Servolorum sordidulorum Poen. I. 2, 58. fabulis, ficulis, Stich. V. 4, 8.

Animula vagula, blandula, et paullo post: Pallidula, rigida, nudula: Hadriani Imperatoris lusus longe venustissimus, Anthol. Lat. II. 96.

Iepide atque nitide Cist. I. 1, 11.

timidam atque pavidam Curc. V. 2, 49. timida aut turbida Most. V. 1, 11. horridum atque squalidum Truc. V. 41. avidè atque invide Pers. III. 3, 5. Cf. sup. *avidos*, *aridos* in a littera.

Non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax: Laberius ap. Gellium III. 12. observatum Vossio Inst. Orat. V. 5, 2. Vides homoeoteuton in eos locos cadere, quibus ordines terminantur metrici. Qua re prope accedit hoc exemplum, et si quae sunt similia, ut Pseud. II. 4, 2. al. ad homoeoteuta, quae fiunt in medio et extremo hexametro, vel in medio et extremo pentametro. O Callicles, o Callicles, o Callicles: Trin. IV. 4 (5), 2. et quae similia exempla graeca: nam a Graecis Plautus hanc suis locis aptissimam formam trimetri accepit.

fustitudinas, ferricrepidinas insulas Asin. I. 1, 21. Alii *ferricrepinas*. Mihi nunc alterum placet, quod est in libris nonnullis apud Bothium. Et in edit. principe sic: Apud fustidinas ferri crepidinas insulas. Praeterea observetur *ff*.

gerulifiguli. Bacch. III. 1, 14.

Equitem, peditem, Poen. IV. 2, 10. Neque eques, neque pedes Mil. II. 5, 54. veles, eques Titinius ap. Non. p. 552, 26.

manibus, pedibus, Andr. I. 1, 134. IV. 1, 52.

fremitu - spiritu atque anhelitu Amph. I. 1, 78. sonitum et crepitum Curc. I. 3, 47.

cibatus commeatusque Mil. II. 2, 69.

aetate et satietate Most. I. 3, 39. festivitatem et facilitatem Eun. V. 8, 18.

Blandimentis, ornamentis Truc. II. 2, 63.

Algor, error, pavor Rud. I. 3, 53. Meorum moerorum atque amorum Epid. I. 2, 2. amoris — humorisque Mil. III. 1, 45. amores, mores, Pseud. I. 1, 62. In labore atque in dolore ibid. II. 3, 20. Scis amorem, scis laborem, ibid. II. 4, 2. propter amorem uxorem nolet Andr. I. 1, 128. labore — dolore ibid. V. 1, 12. Pudorin anne amori Hec. I. 2, 47. Et dactores, et factores Curc. II. 3, 18. maerore, errore, macore senet: Pacuvius ap. Nonium p. 137.

in ore et amore Cicero Epist. ad Famil. X. 28, 3. ubi cf. Cort. Epist. VI. 13(12), 12. angoris et doloris Epist. XV. 8. labore - honore; et eiusdem Ciceronis, *pleniore ore, praeclara rara*, apud Broukhus. in Tibull. I. 1, 3. *operarum harum, valvarum harum*, apud Vavassor. de vi et usu quorund. verbor. p. 567. p. 571.

In medicinis, in tonstrinis, Amph. IV. 1, 5. Per medicinas, per tonstrinas, Epid. II. 2, 14.

assentatrix — advorsatrix Most. I. 3, 100.

Macesco, consenesco, et tabesco Capt. I. 2, 31.

Osculari atque amplexari Mil. V. 40. Trepidari — et cursari Hec. III. 1, 35.

Tangere, invergere Curc. I. 2, 12.

sequere propere Aul. II. 2, 86. eloquere propere Stich. II. 2, 10.

Sedentem flentemque Rud. II. 3, 56. Pollicitantem, et nil ferentem, flentem: Phorm. III. 2, 36. amantes, propinantes, - potantes Curc. I. 2, 52.

Moerentes, flentes, lacrimantes, ac miserantes: Ennius ap. Charisium 251. Diomed. 442. Donat. 1774. P. et apud Merulam

p. 233. Apud Donatum *commiserantes* legitur. Diversus haud dubie versus ab eo, quem p. 388. protuli, servatum ab Auctore libb. ad Herennium. Commune versui utrique homoeoteleuton duplex, sive quadruplex, in *ntes*: at in hoc bis *entes* in verbis continuis, bis *antes*, item in continuis; in illo, quem p. 388. posui, ter *antes*, ita quidem, ut audiatur plenum homoeoteleuton in medio et extremo versu. Cf. versus, quem Iulius Rufinianus p. 237. respicit, Virgilio, Aen. XI. 872. *instantes — ferentes*.

salutando — compellando-Osculando Asin. I. 3, 69. 70. Ad loquendum, atque ad tacendum ibid. III. 1, 15. Poscendo atque auferendo Truc. prol. 16. vapulando - verberando Adolph. II. 2, 5. cursando atque ambulando Hec. V. 3, 17. Arma-mentis complicandis, componendis Merc. I. 2, 80. Caecilius ap. Gellium II. 23. plorando, orando, instando atque obiurgando me obtudit.

accurato et properato Mil. III. 1, 210.

indemnatum atque intestatum Curc. V. 3, 17. allitteratio in primis litteris; allitteratio in *e*, debilis illa per se, sed quae percipitur in verbis mensura, ut haec sunt, aequalibus; denique homoeoteleuton.

facta, transacta omnia Andr. I. 5, 13. ubi non negligendum, quod praecedunt sono et ipsa sibi inter se similia, *contemptus, spretus*.

non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: Cicero pro Milone c. 4.

sputa minuta Lucret. VI. 1186.

Sura, - statura, Amph. I. 1, 288.

mora mera Capt. II. 3, 36.

Bellam et tenellam Cas. I. 20. bella puella Catull. 69, 8. 78, 4.

melle et felle Cist. I. 1, 71. paronomasia. Cf. Truc. I. 2, 76. 7. mel - fel Poen. I. 2, 182.

scibo. ibo Men. V. 2, 57.

nomen atque omen Pers. IV. 4, 73. nomen et numen: v. sup. in *n* littera. ex nomine atque omine Lucilius XXIV. fragm. 9. ap. Nonium p. 330, 25. sed ex incerta Lipsii emendatione. Si ita, - *prius non tollas, quam Tulli animum, ex nomine, Atque hominem ipsum interfeceris*: quae fere vulgata scriptura est, allitteratio erit, obscura illa quidem, et vix animadvertenda, in *nomine* et *hominem*.

scabrae - glabrae Trin. II. 4, 140.

lateres veteres Truc. II. 2, 50. et 51.

escarum, et poscarum ibid. II. 7, 48.

pannis annisque Eun. II. 2, 5. lusu manifestò.

plorat, orat, occurrit nepos Afranius ap. Nonium p. 308, 14. plorando, orando Caecilius loco paullo ante laudato.

O fortunatam natam: Ciceronis versus apud Iuvenalem, apud Quintilianum IX. 4, 41. XI. 1, 24. et Sallustium, qui olim ferebatur, Declam. in Cic. Et apud Diomedem II. 461. ut observat Santenius in Terent. M. p. 218. Id *excidisse* Ciceroni, non persuadet mihi Quintilianus. Etsi cavendum, ne quis subtili elaboratum diligentia putet. Trahebat Cicero nem sponte sese offerens similitudo soni. Sententiae enim acumen si quaesivisset, id non in verbis *fortunatam* et *natam* positurus fuisset, sed hoc fere modo, ut aliquid ludam liberius: O bene consultum natae me consule Romae. Nunc video posse aliquod etiam ex verbis *fortunatam natam* acumen, aliquam sententiae antithesin, elici. Sic: *fortu nata*, quia *nata*. Idque fortasse obversabatur Ciceroni. Sed praecipuum illud est, quod ante commemoravi, de amore soni. Quid gloriatur Cicero, non male explicat Turnebus Advers. VII. 19. Similiter dicto altero, *Cedant arma togae* etc. id effectum a se esse, pacis artibus, significat, quod rerum bello gestarum ab aliis gloriam aequiparet, ac superet.

Res mihi invisae visae sunt, Brute: Cicero [ap. Quintil. IX. 4, 41. Addo geminum ex Plauto, Mostell. I. 1, 48. Quasi *invidere* mihi hoc *videre*, Grumio.

Tum ultra duas syllabas procedere homoeoteleuton potest. inaniis — atque araneis Aulul. I. 2, 6. non multum hoc loco *i* ab *e* differebat.

Sollicitando, et pollicitando Andr. IV. 4, 9.

maestitudo, vastitudo, Attius Telepho ap. Nonium p. 136.

24. versu, ex Hermannii Elem. p. 90. sententia, si recte percipio mentem eius, tali: . . . *ni vestitus teter, maestitudo, vastitudo*. Praeterea mihi, ut Bothio, Vossii observatio placet, corruptum putantis quod ibi praecedit, *memorabilem*. Et sane non multum interest inter *memorabilem* et, quae coniectura est Bothii, *immortalem*. Sic in Culice v. 36. quod in libris antiquis legitur, *memorabilis*, originem dedit corruptioni: *mortalibus*. Similis locus eiusdem Attii, ex Eurysace, ap. Nonium p. 184, 31. *tetra veste, et vastitudine*.

Nonnunquam verbum iteratur idem, in compositis:

incolae, accolae, advenae Aul. III. 1, 1. Agricolae, accolae, Rud. III. 2, 2.

Multiloquium, pauciloquium: Merc. I. 1, 31.

Salsipotenti et multipotenti Trin. IV. 1, 1.

Oculicrepidae, cruricrepidae, ibid. IV. 3 (4), 14.

multibiba atque merobiba Curc. I. 1, 77.

quo in loco non negligenda allitteratio *m m*. Ego *meribiba* scripserim, ut plenior fiat allitteratio: *multi meri*. ut supra vidimus *morigera - munifica*. Laudatur ex Augustino *meribibula*, sumptum haud dubie ex hoc Plauti loco, vel alio simili. Ac profecto ipsa se commendat forma haec *meribiba* prae altera *merobiba*.

Alibi pars verbi compositi prior iteratur, ut: multiloqua et multibiba Cist. I. 3, 1. falsiloquom, falsificum, falsiurium Mil. II. 2, 36.

Denique haud indigna mentione carmina sunt, quae Cato de Re rust. c. 160(161). cantari iubet, prolata ad Virgilii Ecl. VIII. 80. ab I. H. Vossio:

daries dardaries astataries.

ista pista sista.

Lobeckius in *Aglaophamo* T. II. p. 1332. enumerat formulas antipatheticas: Daries Dardaries, Huat, Hanat, Hax Pax Deax, Adimax, et ceterum mysticum Abracadabra. Quo referas supra p. 386. a me prolatum

arse verse (vorse).

sed hoc dicitur Tuscum esse, suamque habere certam significationem.

Haec sunt varia allitterationis genera. Neque explicatione, post ea, quae hic illic monuimus breviter, multa aut longa opus est. Distinctionem si quis praeter eam, quam ordo facit litterarum, expetat aliam, et in classes distribui istam locorum multitudinem velit, facilis cuivis in promptu distinctio est, a diverso verborum, quae allitterationem habent, usu structuraeque. Multus allitterationis usus est in appositione, h. e. ubi plura cumulantur synonyma, vel significationis affinitate inter se iuncta, et ad unam eandemque notionem facientia, *hariolos haruspices, adi atque alloquere, oro, obsecro, oleum et operam, bardi, blenni, buccones, cor corpusque, cludam, crassam, Chrysidem, crispus, crassus, caesius, di deaeque, fausta, felix, fortunataque*, etc. Vel etiam in oppositione, ut *albus an ater*. Igitur haec una classis erit. Altera eorum, in quibus allitterationem faciunt aut cum suo nomine adverbiove verbum, aut nomen substantivum cum suo adiectivo, ut *acervo aceto, tanto opere orabat, cano capite, dicta docta, damnum dari, flocci facio*, etc. Atque iisdem classibus homoeoteleuta continentur, etiam illa, quae priori loco commemoravi: ut quum poetae elegiaci iungenda inter se nomina homoeoteleuto notant, *Improbis, et nullo vivere consilio, Quum tamen adversos cogor habere deos, Et teneat culti iugera multa soli*. Alibi tam longe procedit allitterationis amor, frustra ut classem re-

gulamque circumspicias, sub quam ista revocentur: *mali moeroris montem maximum - modo; miserae ubi venit in mentem mihi mortis, occupat - metus membra; Non potuit paucis plura plane proloqui; Fraxinus fixa ferox insensa infunditur ossis; Libera lingua loquemur ludis Liberalibus; O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti; Quicumque quisquam cuiquam, quod conveniat, neget.* Et hoc quidem sane habet regulam, sed miram, ut in unam sententiam constructionemque tot et cognata et idem sonantia verba, quot coacervari possunt, coacerventur. Quo pertinent nonnulla eorum, quae p. 350. sq. commemoravi.

Quam p. 326. quaestionem proposui, scriptoribusne tribuendum sit, quod tam frequens in sermone latino allitteratio, an magis sermonis naturae ipsius, non amplius quaestio, sed confecta est atque composita, nisi fallor, exemplis nostris. Fuit apud Romano sinveteratus, cumque ipso sermo natus allitterationis amor. Hinc tot cum allitteratione proverbialia, tot dicta vulgaria, quae non inventa a scriptoribus, sed ex vitae usu recepta esse apparet. Deinde auxerunt eum numerum scriptores, et quisquis alius publice dicendi occasionem habuit. Auxerunt vero duobus modis. Partim dedita opera. Alia multa inscientibus excidisse probabile est. Ducebat scribentem, dicentem, sensus quidam, et insitum allitterationis studium, ut ubi duobus eandem rem modis dicere liberum esset, aut sine allitteratione, aut cum allitteratione, sponte atque incogitate eum ille modum praeferebat, qui esset cum allitteratione. Quid autem sit ex usu communi, vulgari, proverbiali, receptum, quid imitatione usus eius factum a scriptoribus; et rursus quid inscientibus exciderit, quid sit data opera factum, ut saepe incertum est, ita non multum interest, utrum hoc statuas, an illud: tantumdem et haec probant, et illa. Quae enim arte facta esse certum est, ut multa et vidimus, et infra videbimus, aut cumulata allitteratione, aut eleganter variata per diversas litteras, supra id, quod ferre consuetudo sermonis quotidiani videtur, artificiosa: num ea separanda esse

ab reliquis, licentiaeque vindicanda scriptorum, poetarum, dicemus? Non puto. Facta sunt, ut placerent: et vero placuerunt, quia erant ad consuetudinem populi, et ex lege proprietatis latinae conformata. Neque uni peculiare fuit, aut Comicis proprium, ludere in allitteratione, et ludere manifesta luxuria: sed ita omnes, Tragici, Epici. Etiam Oratores haud dubie: etsi, cuius ad nos opera pervenerunt, princeps oratorum hac quoque in re se praestat, ut in aliis, sapienter modicum.

Nonnulla apposui tam vetusta, tamque trita usu omnium, ut Ciceronis, Terentii, Plauti aetate neminem amplius, hanc esse allitterationem, sensisse existimem: ut *animum advertere*. Alia posui, in quibus tam debilem, et tam inobservabilem aliquis esse allitterationem dicet, ut nulla sit. Ego tamen pesto. Atque ut tuear ista exempla mea, quae aliis fortasse videbuntur nulla esse, tres maxime observationes habeo. Primo quam nemo animadverteret allitterationem, si uno tantum loco unius inveniretur scriptoris, animadvertitur, incurritque in aures atque oculos, quum a pluribus usurpatam videas. Sic *lumen linque* Cistell. III. 12. iam omiseram, quum in memoriam reverterunt alio tempore lecti Naevii, Ciceronis, Lucretii loci. Qui loci eam sollemnem, et quasi proverbialem dictionem fuisse persuadent, *lumen linquere*. Si autem proverbium, credibile est, non esse allitterationem *l l* de nihilo. Proverbium quum dico, non semper usitatum in vulgari vitae consuetudine, vel aptum ei, dico. E. g. hoc, *lumen linquere*, non in communem, puto, receptum usum fuit, sed proprium poetis. Qua re Plautus eo utitur, ubi mortis appetentem tragica gravitate Alcesimarchum facit. Imiteris ita: gieß den geist auf. Deinde ut allitterationem deprehendas eo in loco, in quo non multum afficiuntur aures, saepe efficit locorum similitum, in quibus allitteratio distinctior, comparatio. *perge porro* an recte annumeraverim, fortasse aliquis dubitat: non dubitabit, puto, si contulerit *pergam porro percontarier, perge*

*porro proloqui*, ubi tertium *p* accedit. Verum hoc, *perge porro*, etiam per se dignum observatu, quum speciem habeat proverbii, quae saepissime cum allitteratione solent coniuncta esse. In *ecastor cotidie* Cistell. I. 1, 45. allitteratio diu me latuerat ipsum, donec admovi *ecastor cassa* ibid. IV. 1, 16. quo in loco quum manifesta sit allitteratio *cas cas*, credibile est, alteram, minus fortem, in *ecastor cotidie*, romanas non praeterisse aures. Magis incerta res est de *capite aperto* p. 387. an sit allitteratio in *p* et *t*. sed tamen non est incredibile, quum cogito illud *opera expertus*. Cf. supra monita p. 340. de *exornatis ossibus*, et p. 387. *laborat e dolore*. Denique saepe in eodem loco una allitteratio adiuvat, illustrat, erigit alteram. Ea enim fuit huius sive artificii sive sponte subnascentis condimenti apud Romanos caritas atque frequentia, ut saepe eodem in loco unam allitterationem excipiat altera in alia littera. Neque hoc fugit I. Iov. Pontanum, qui f. 128. a. *Habet etiam*, inquit, *suavissimum condimentum quoties Allitteratio ipsa eodem geminatur in versu, per diversas tamen dictiones, ac syllabas.* eamque in rem laudat ex suis poetis, Virgilio, Lucretio: *magna manes ter voce vocavi, pharetramque fuga sensere sonantem, multa munita virum vi.* Nos multa huiusmodi e Comicis statim proferemus, inter quae ea nunc maxime observari velim, ubi, quod paullo ante dicebam, unam allitterationem, obscuriorem, adiuvat altera: hoc est, ubi quam allitterationem dixeris nullam esse, quum vix percipi posse auribus videatur, esse tamen allitterationem, et perceptam fuisse, persuadet allitteratio, quae subsequitur, alia. Sic in Truculento II. 3, 22. nemo fortasse hanc, quae est in *factum plector*, assequeretur, nisi statim subiiceretur altera, *partum perdidit*. Bacch. I. 1, 38. 39. nemo has, *ta ta, ca cum ca, eq ec*, quae sunt in verbis: *Pro hasta talus: pro lorica malacum capiam* — *pro equo lectus*: nisi praecederet vs. 34. *pro disco damnum*, vs. 36. *pro caestu cantharum*, et sequeretur vs. 39. tam manifesta, tam acute sonans allitteratio, *scortum pro scuto*.

Cicero de Orat. I. c. 1. *Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt.* observatum Victorio V. L. XVI. 19. Sed Victorius illud tantum, *moles molestiarum*, attendisse videtur; *m m m* et *t t t t* non attendit.

Leges nonnullas, conditionesque, et in universum vim allitterationis quemvis intelligentem docebunt exempla mea. Doctrinam, quae omnia complectatur, certisque hanc rem limitibus definiat, licentiam excludat, frustra exspectes. De prioribus nunc loquor generibus, quae sunt apud me I. II. III. et maxime de genere I. Est ubi imbutus hoc more lector Plauti sentire, qui sit aptus allitterationi locus, possit: et saepe veniet allitteratio. Est ubi praesagire animo, quam diu scriptor sit in allitteratione coepta moraturus, an transiturus ad aliam, possit: et saepe recte divinaveris. Alibi deficit illa, expectationem fallit. Vim quod attinet, cavendum est ante omnia, ne quis in secundario primarium, et in effectu, quem allitteratio saepe habet, causam finemque quaerat allitterationis. Secundarium dico, quod saepe vim habere allitteratio ad sententiam videtur, dum illa notat, et quasi acuit voces, quae sunt, ut paullo ante dicebam, in appositione, vel oppositione. Scilicet non nego hunc esse aliquem allitterationis usum: prorsus ut in his, *haus und hof, mann und maus, leib und leben*, quibus multa excogitari possunt, aut excogitata sunt similia, *retter und rächer*, etc. et in homoeoteleutis, *gut und blut, sterben und verderben*: quae est diversorum verborum in unam notionem coniunctio, clarius percipitur per allitterationem. Hoc nego, eam vim esse allitterationis primariam. Quid enim fieret innumeris locis, in quibus non respondentia sibi inter se verba, sed omnia deinceps, unum post alterum, promiscue allitterationem recipiunt? Nisi quis ita praecipiat, aptam esse allitterationem verbis, quae unius sententiae ambitu continentur omnibus. Igitur allitteratio per se tota ad delectationem referenda est aurium. Ve-

rum hic alia opus esse cautione video, repetendumque memoria, quod p. 341. scripsi, parem fere esse litterarum omnium ad allitterationem usum. Id nunc contra viros doctos nonnullos moneo, qui ad certas quasdam litteras hanc rem videntur revocare velle. Veluti *sigmatismi* appellatio ad graeca quaedam exempla, nota illa omnibus, apta est atque accommodata; non apta ad exempla latina: nisi itidem, quod facit H. Columna, *ἀλφακισμὸν, κappακισμὸν, δελτακισμὸν* etc. dicere velis. Martianus Capella lib. V. p. 167. vitandum esse Mytacismum, et Labdacismum, et Iotacismum, et Polysigma, praecipit. Ab altera parte G. I. Vossius l. l. IV. 2, 2. et 3. nimius est, ut mihi videtur, in explicanda atque commendanda singularum litterarum virtute efficacique. Ille quidem hoc in universum: sed adhibenda foret ea disputatio, si tota certa esset, ad hanc nostram quaestionem, quae est de allitteratione. Quod ego non audeo facere. Non quod nihil esse in observationibus Vossii veri putem: nituntur illae, saltem ex parte, scriptorum praeceptis veterum, et exemplis confirmantur certissimis, veluti, ut uno utar perfectissimo, Virgilii, *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum*, et *Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum*, in quo surdum esse oporteat qui apte inter se mixtarum *q c d t p* vim virtutemque non percipiat. ex nostris autem exemplis huc pertinent, Plauti, *ruere rebamur*, et *Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus*; Attii, *crepitu clangente cachinnat*; Ennii, *fraxinus frangitur*, et *taratantara*; Claudii Quadrigarii, *grundibat graviter*. Verum haec, in quibus *ὀνοματοποιήσις* manifesta est, pauca sunt, si comparentur cum infinita locorum multitudine, in quibus nulla est soni imitatio; et inter haec ipsa, quae commemoravi, vix unum est, in quo debuisse his litteris *ὀνοματοποιῆαν* fieri dicas, non potuisse aliis. Iudicium si quis forte expectat meum, utrum probeum morem latinum, an improbem: libere fateor, mihi nonnunquam hoc nimium videri allitterationis esse. Sed tamen illi quum ita allitteratione usi sunt, vel etiam abusi,

naturae sermonis latini congruenter fecerunt; et fecerunt, quod tum ferebat, vel postulabat, consuetudo latine loquentium omnium. Apud nos qui orationem suam studiose distinguere luminibus allitterationis vellet, non contrarium indoli sermonis germanici, in quo esse aliquam allitterationis cupiditatem certum est, sed faceret contra stabilitum optimorum scriptorum auctoritate usum, qui allitterationem fere in proverbii, et quae sunt proverbii similia, consistere, proverbialia autem modice usurpari in accurata oratione voluit.

Non dico nihil me relinquere quod explorandum sit. Ac mirer, si nihil peccaverim in tam larga materia. Sic locos aliquot signo (?) notavi, et praeter hos alios nonnullos cum dubitatione adscripsi: sed adscripsi, quum mihi, si corrupti, tamen non ea corrupti parte viderentur, qua ad allitterationem faciunt. Pag. 392. med. *canendo* erratum est. Corrig. *monendo*. P. 339. haesitantem me in verbo *ocillet* Amph. I. 1, 28. confirmarunt, quae de verbi *oscillare* origine obiter, sed, ut ille scribit omnia, docte acuteque monuit Heinrichius, venerabilis amicus, ad Cic. R. P. p. 161. Itaque, cum Pio, retineo *ocillet*, vel *ocilet*, h. e. *obcilet*, obtundat: ad modum verbi *incilare*, de quo cf. Wakefieldius ad Lucret. III. 976. P. 371. in loco Truculenti II. 2, 4. iam scripseram *mi* pro *mih*, quod sane nonnunquam facillimum est, et cuius promptum remedium: quum coepi quaerere, an forte *mih* pronomen totum delendum esset. Certe illud suspectum videri etiam loco potest, si quidem editio princeps hunc habet verborum ordinem: *satis est mih t. s.* ad sententiam autem facile supplebitur non additum. Trinummi versum III. 2, 16. quo p. 373. usus sum, ita nunc video a Lindemanno nuper exhibitum esse: *Itane tandem tibi maiores famam tradiderunt tui*. Non repugno. Illud non negaverim, quod negat Lindemannus, suum posse pronomini *tibi* iuxta alterum pronomen *tui* locum esse. - P. 387. Curcul. III. 19. aliquanto suavior videbatur hiatus, *Quis hic est, qui ca-*

*pite operto Aesculapium Salutat*, quam iste, qui vulgo habetur, *Quis hic est, qui operto capite Aesculapium*. Emendationi nescio a quo primum factae, *Quis his est, operto capite qui Aesculapium*, opitulatur quodammodo locus Curculionis alter, II. 5, 9. *capite operto qui ambulat*. E Cicerone, Lucretio, e fragmentis veterum poetarum latinorum, non diligenter selecta, sed obiter observata, et tantum adpersi, quantum sufficeret, ut nemini antiquo inusitatam fuisse allitterationem monstrarem. Sed de Cicerone, propter gravitatem auctoris, ut apertum fiat, quem fere modum ille sibi hac in re fecerit, ex una oratione, quae primum in manus venit, pro S. Roscio Amerino, agnita a me exempla apponam. Primo illa trita cumque ipso sermone nata, *tot ac tales, tot tantisque, tot et tanta, tantis tamque* atrocibus, *tantos tamque* profusos, *quantam*, et *quam* variis; *divina* atque *humana, ultro et citro*. Tum non minus trita, et nota ex superiori disputatione: *oro* atque *obsecro, orat* atque *obsecrat, more maiorum*: et quum iteratio est in praepositione, quod genus non multum habere momenti dixi: §. 6. *obstare* atque *officere* 112. *te offers* — *officio* simulato, *officis*, et *obstas?* 145. ubi — *officio?* quid — *obsto?* 87. non modo *ostenderes*, sed etiam *offerres*. 51. *succurram* atque *subibo* 115. *commendatae* sunt atque *concreditae*, 129. *indigna* et *intolerabilia*. Denique haec: §. 50. *crimen incredibile confingunt*: 143. *culpa* liberatus, et *crimine* — solutus 123. neque *diu*, neque *diligenter* 117. *omni fraude* et *perfidia fefellit*. 51. *libenter*, audacter, *libereque* 10. *opprimi me onere officii* 6. *plenam* atque *praeclaram* 37. *portenti* ac *prodigii* (alibi, portentum atque monstrum, 65.) 58. *ad perniciem profligata* atque *perdita* 118. *promptum* et *propositum* est, 153. *praeclarum* et *propinquum* 140. *sincerum sanctunque* 103. et *sector* est et *sicarius*: 151. *sectores* ac *sicarii* et cum interpellatione, 152. *sectorem*, inimicum, *sicarium*, eundemque accusatorem 71. nihil tam *vile*, neque tam *vulgare* est. Et homoeoteleuta haec. §. 81. *acerbitatem iniquitatemque* 154.

auctoritate et potestate et cum interpellatione, 1. neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate 149. assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia et in diversis membris, 9. commoditati — gravitati — libertati 44. relegatio atque amandatio 110. hortatore, auctore, intercessore, 142. ornamento atque emolumento 143. more, lege, iure gentium 55. criminose ac suspiciose — ludificari et calumniari 120. neque arguo, neque purgo: 117. induxit, decepit, destituit, — tradidit, — — fefellit. 144. concessit, adnumeravit, appendit: 30. colorum, et honorum 74. *nunquam* cum homine *quoquam* 45. contraque consuetudinem *hominum*, contraque opiniones *omnium*. Quae possunt multa videri per se, pauca, si cum ubertate Plautina fiat comparatio: eandemque fere aliorum Ciceronis librorum rationem esse putem, modum eundem. Certe quod aliquis coniciat, in Epistolis, propter affinitatem sermonis vulgaris, maiorem esse exemplorum numerum, non memini me confirmatum videre, dum lego Epistolas. Et omnino ita statuo, modicum allitterationis usum aetate illa, et ipsius iudicio Ciceronis, nulli non visum esse convenire generi: nisi rariorem aliquanto fuisse in genere historico, et philosophico, conieceris. Ut in illis praeclaris librorum de R. P. reliquiis non multa invenio; novi, et quod dignum sit memoria post alia a me aliunde prolata, vix quicquam. Hoc tamen iuvabit observasse, lib. I. pag. 8. extr. *si cupiant, non queant*. Et pag. 43. extr. video *sentit et sapit*, notum nobis ex Plauto: lib. II. p. 82. extr. *ratio oratioque* lib. III. p. 96. *non — vafri, non veteratores*: ut Offic. III. 13. *veteratoris, vafri*. lib. IV. p. 117. *pallas inter pecus*. Aliis examinandos relinquo eos, qui post Virgilium scripserunt. Ac fortasse invenietur, mature unum exstitisse, et alterum, qui ab hoc studio deflexerit, et quod antiquitati omni tamquam elegans bellumque placuisset, id pro vitio habere, atque evitare, vel caute parceque admittere coeperit. In Manilio Bentlejus quae ad allitterationem pertinent, et homoeoteleuta, odio insectatur, et quibus potest

machinis, expellit. Ut I. 171. *Vide modo ista, et litera eadem ter iterata, et syllabarum paritate, deformia: contractis consistunt corpora, cum alias rotundissimos versus Noster effingat.* et lib. V. 251. contra coniecturam Scaligeri *quae quando quinque: satis invenuste ob literam q toties verba inchoantem.* Cf. ad III. 183. ad IV. 217. 478. 661. Non satis video quo iure, et qua ex lege. Lucretio non displicuere talia, *consistere corpora creta* V. 61. *Quod quoniam - quoque constat corpore certum* III. 795. et V. 139. *Corpore concreto circumdatus* V. 469. *consistere corpore coelum* VI. 43. *Quadrupes quoque quo* VI. 757. et sim. Etsi inveniri posse legem, qua quod Lucretius admisisset, ac lubenter admisisset, id Manilius fugerit, non nego. Nam imminutam esse paullatim, arctioribusque circumscriptam finibus, vel adstrictam conditionibus, allitterationis sive libertatem sive licentiam, admodum probabile est. Ut apud Virgilium multa quidem est, at non tam frequens, vel immodica, quam est apud Comicos. Atque ita eo res devenire potuit, ut a Grammaticis, Servio, Isidoro, Martiano, et qui horum fuere praeceptores, reprehenderetur allitteratio, locis exceptis iis, in quibus illa apte adhibita ad *ὀνομασποίησιν* videbatur, ut Aeneid. V. 866. Temporis, quo facta mutatio, scholarumque, in quibus suus allitterationi antiquus honor detractus est, satis disertum indicium exstat apud Servium in Aen. III. 183. *Haec compositio iam vitiosa est, quae maioribus placuit.* maiores non Ciceronem, Plautum, de quo vix cogitasse Servium, quum haec scriberet, existimo, sed ipsum dicit Virgilium. Denique Graecos, etsi alia mihi aliunde notā erant exempla allitterationis, et maxime homoeoteleuti, graeca; alia, cum rhetorum grammaticorumque praeceptis, in morem latinum inquirenti obvia facta sunt: tamen, quum nihil habeam hoc in genere elaboratum, intactos mittere, quam leviter perstringere, malo. Ac possum hoc, nisi fallor, impune facere, neque crimen incurram negligentiae, si quidem Graeci, ut vim factae suo loco allitterationis minime ignoraverunt,

neque potuerunt ignorare, quo erant ingenio ad omnem elegantiam promptissimo, sed in sonis litterarum, ubi res ferebat atque occasio, nullo non modo elaboraverunt, et luserunt: ita, quantum ego mihi observasse videor, nunquam cupiditate allitterationis, illius maxime, de qua primo loco dixi, ea se abripi passi sunt, quae possit cum cupiditate Romanorum comparari.

---

Quae sequitur collectio, neque plena est, neque diligenter, aut cupide facta. Sunt loci a me, dum allitterationis in litteris singulis exempla conquirebam, obiter annotati. Admiscui nonnulla ex iis generibus, quae supra p. 328. excludere me dixi a disputatione mea: ut *Pocni poenas*, et illud *Capt. IV. 3, 3. sq.* et *dolo dolorem pellerem*, quae ad paronomasiam sive annominationem pertinent; *augete auxilia, gratis gratas, par pari.*

*Amphitr. I. 1, 162.* Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris. *os os o p p*

*ibid. II. 2, 98.* Equidem ecastor sana et salva sum. — *eq ec sa sa s*

*ib. 209. sqq.* — dotem duco esse, quae dos dicitur: Sed pudicitiam et pudorem, — Deum metum, parentum amorem, et cognatum concordiam: Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis. *d d d d pud pud tum tum cog conc m m pr pr.* Praeterea quam accurate sibi inter se respondeant *morigera* et *munifica*, supra est a me observatum.

*ibid. V. 1, 42. 3.* — ibi continuo contonat Sonitu maximo: aedis primo ruere rebamur tuas. *cont cont r ere r r.*

*Asin. V. 2, 15. 6.* — ad Archidemum, Chacream, Chacrestratum, Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem.

Capt. III. 5, 5. Sator sartorque scelerum, et messor maxime.

ibid. IV. 1, 3. 4. Laudem, lucrum, ludum - festivitatem, ferias, Pompam, penum, potationes, —

ib. IV. 3, 3. Quanta pernis pestis veniet: quanta labes larido: Quanta sumini absumedo: quanta callo calamitas: Quanta laniis lassitudo. —

Curcul. I. 1, 9. Tute tibi puer es: lautus luces cereum.

ibid. II. 3, 39. 40. — lippiunt fauces fame: Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.

ibid. III. 72. sqq. Persas, Paphlagonas, — Caras, Cretanos, — Perediam et Perbibesiam, Centauromachiam, et Clasi-  
siam —

Cas. III. 2, 5. Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus. Sed eccum egreditur senati columen, praesidium popli, Meus vicinus, meo viro qui liberum praebet locum.

ibid. IV. 4, 3. ut potior pollentia sis, vincasque virum, victrixque sies.

ib. V. 4, 27. Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.

Cistell. I. 3, 52. Augete auxilia vostris iustis legibus: Perdite perduelles, parite laudem et lauream: Ut vobis victi Poeni poenas sufferant.

ibid. II. 1, 8. - amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit, Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat: deludit. Cf. Hermann. Elem. p. 397.

Epid. II. 2, 16. Rogitando sum raucus factus, paene in cursu concidi.

ibid. 46. sqq. Tunicam rallam, tunicam spissam, — Indusi-  
atam, patagiata, caltulam, aut crocotulam, etc. frequens  
homoeoteleutis locus.

Bacch. I. 1, 38. 9. Pro hasta talus: pro lorica malacum capiam pallium: — pro equo lectus - scortum pro scuto —  
Cf. paullo ante dicta p. 404.

ibid. III. 3, 4. Eia Lyde, leniter qui saeviunt, sapiunt magis.

ib. 9. Nunc propter te tuamque pravos factus est fiduciam.

ibid. IV. 3, 1. Petulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato, Sine modo et modestia sum, sine bono iure atque honore, Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo. ubi non negligendum homocoteleuton *iure honore*. Sed haec facile quivis ipse persentiscet.

ibid. IV. 6, 23. Pendebit hodie pulchre, ita intendi tenus.

ib. IV. 8, 51. sqq. — Iuppiter, Iuno, — Virtus, Venus, — Mars, Mercurius, — Summanus, Sol, Saturnus, —

ib. IV. 9, 2. Cum Priami patriam Pergamum, divina moenitum manu, Armis, equis, exercitu, atque eximiis bellatoribus, Millenum numero navium, —

ib. 42. — cum magnifico milite, urbes verbis qui inermis capit.

ibid. V. 1, 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardii, blenni, buccones.

ib. 15. Cano capite, atque alba barba. —

ibid. V. 2, 25. — malam rem magnam, quam debent, dabunt. Quaerebam an esset percipienda auribus allitteratio in *oves vobis*. et in vs. 21. et in *voce - oves* vs. 22. Est illa certe valde tenuis.

Mostell. III. 2, 27. Quo dolo a me dolorem procul pellerem.

ibid. 41. Vino et victu, piscatu proba, —

ibid. 47. Nos profecto probe, ut voluimus, viximus.

Men. IV. 2, 49. Non hercle ego quidem usquam quicquam nuto neque nicto tibi.

Mil. II. 1, 69. — facetis fabricis, et doctis dolis.

ibid. III. 1, 73. Vel primarium parasitum, atque obsonatorem optimum.

Merc. II. 3, 72. 3. Contemplant, conspiciant omnes, nutent, nictent, — Vellicent, vocent, — occentent ostium.

ibid. III. 4, 45. — claudus, caecus, mutus, mancus, —

ib. 54. Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum.

Poen. I. 2, 10. 11. Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari, Poliri, expoliri, pingi, fingi: — Cf. ibid. 13. 19. 21.

ibid. III. 1, 27. Vinceretis cervom cursu, vel grillatorem gradu. ubi nonnihil allitteratio confert ad tuendam hanc veram scripturam, *grillatorem*.

ibid. IV. 2, 10. 11. Equitem, peditem, libertinum, furem au (?) fugitivum velis: Verberatum, vinctum, addictum. —

Pers. III. 3, 2. sqq. — lutum lenonium, Commictum coenum, — Impure, inhoneste, iniure, illex, — Pecuniae accipiter, avide atque invidie, Procax, rapax, trahax: — Ubi fortasse etiam consonant inter se *cu ci in pecuniae acc.*

(Rud. IV. 4, 135. Gripe, gratulor. addend. ad p. 351.)

Stich. II. 1, 3. — onustum pectus porto laetitia lubentiaque.

ibid. IV. 1, 72. — capti consili memorem mones.

Trin. II. 1, 22. sq. — flabelliferae, sandaligerulae, Cantrices, cistellatrices, nuncii, renuncii, Raptores panis et peni. — vel, *Panis et peni raptores*.

ibid. IV. 1, 2. 3. Laetus lubens laudes ago et gratis gratas habeo, — Quos penes mei potestas, —

ib. 10. Pauperibus te parcere solitum, dites damnare atque domare.

ibid. 11. 12. — hoc dis dignumst. Semper mendicis modestis fidus fuisti. — ex nupera Lindemanni emendatione.

ib. IV. 2, 7. 8. — nescio, Neque novi: neque natus, necne is fuerit, id solide scio.

ib. IV. 3 (4), 58. Hercle istis malam rem magnam moribus dignumst dari.

ib. 80. Ego miser minimis vehiculis sum per maria maxima Vectus capitali periculo, per praedones plurimos Me servavi, salvos redii: — *minimis vehiculis*, pro *meis periculis*, elegans Bothii emendatio.

ib. 85. — res quom animam agebat, — offusam oportuit.

Trucul. I. 2, 50. Manifestam mendaci, mala, te tenco. —

ib. II. 2, 16. - insuaso infecisti, propudiosa, pallulam. nisi scribendum cum viris doctis: *Quia tibi suaso i.*

ib. II. 3, 22. Post factum plector, quia antepartum perdididi.

Fragm. ap. Festum v. Valgos: — pueros pariat postea, Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, —

Fragm. Colacis ap. Frontonem: Qui data fide firmata fidentem fefellerint, Subdoli subsentatores, —

Andr. I. 1, 154. — manibus, pedibus, obnixè omnia Factorum: —

ibid. II. 1, 19. — spem, salutem, consilium, auxilium —

ib. III. 2, 46. Set parvi pendo: illud mi multo maximumst.

ib. V. 3, 52. Pro peccato magno paulum supplici satis est patri.

ibid. V. 5, 8. Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

Eunuch. I. 1, 27. 8. — et amore ardeo: et prudens sciens, Vivus vidensque pereo: —

ibid. II. 2, 5. Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum.

ib. III. 2, 56. 7. — infra esse infimos omnis - Homines: —

Heautont. I. 1, 49. — vi et via pervolgata patrum.

ibid. 91. Faciundo facile sumptum exercirent suum.

ib. III. 3, 17. — utcumque, ubicumque opus est, obsequi. vel: utcumque atque ubicumque opus sit obsequi.

Adelph. V. 9, 21. Di tibi, Demea, omnia omnes semper optata offerant.

Ex Hecyra nullum exemplum annotavi. Et omnino est hoc genus apud Terentium rarius, quam apud Plautum.

Phorm. I. 4, 54. — verbum verbo, par pari ut respondeas.

ibid. II. 2, 3. - ad te summa solum - rerum redit.

ib. V. 6, 23. Pone adprehendit pallio, resupinat: respicio: etc.

Naevius (?) ap. Nonium p. 151. - praecisum, omasum, pernaam, callus, glires (glisis), glandia. Cf. Plautus ap. Fest. v. Spetile.

Turpilius ap. Nonium p. 22, 13. — quum te salvum video, ut volui, glisco gaudio.

Idem ap. Nonium p. 399, 29. — stare tristis, turbido Voltu, subductis cum superciliis senes.

Titinius Fullonibus ap. Nonium p. 305, 5. videram ego te virginem formosissimam esse: sponso esse superbam: forma esse ferocem. Ita haec concepta in Parmensi 1480. et in Romana Laueri, nisi quod in hac *sponso superbam esse* legitur. *f s s f f*

Afranius ap. Gellium X. 11. Macrob. VI. 8. Appetis dominatum demens praemature praecocem.

Novius Geminis ap. Nonium p. 510, 16. O domus parata pulchrae familiae festiviter. *pulchrae*, vel *pulchrae*, Paris. 1583. aliae, et Parm. 1480.

Idem Militib. Pomet. ap. eund. p. 25, 12. Valgus, veterinosus, genibus magnis, talis turgidis. Bona est emendatio Bothii *veterinosus*. *ελλιπόδης*, vulgo *veternosus*.

Pomponius Pictoribus ap. Nonium p. 17, 14. Scalig. in Varron. p. 150. Magnus manducus, camelus . . . cantherius. Videtur excidisse vocabulum, notionem vastitatis, deformitatis, continens aliud. fortasse *cantharus*. ein grosser popanz, kamel, mistkäfer, karrngaul. Sed hoc ego ludens. Neque opus, ut allitteratione comprehensum fuerit, quod excidit vocabulum. Potuit interpellari hoc loco.

Naevius Lycurgo ap. Nonium p. 540, 6. p. 548, 27. Pallis, patagiis, crocotis, malaciis, mortualibus. Parmensis illa uno loco *malicis mortualibus*, altero *malatiis mortalibus* habet. *malacis* Vossius.

Ennius Hecuba: Adsum, atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua, Per speluncas saxis structas asperis pendentibus Maxumis, ubi rigida constat crasso caligo inferum. Dominantur *a, v, s, c.*

Idem Medea ap. Nonium p. 470, 4. et ap. Varronem: Adsta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum Contempla, et templum Cereris-aspice. *hasta* est etiam in Romana illa.

Idem Andromacha ap. Hermannum Elem. D. M. p. 205. Quid petam praesidi, — quove nunc Aut auxilio exsili aut fuga freta sim? Arce et urbe orba sum: quo accidam? quo applicem? *p p xil xil ffr e rb rb ac ap.* ut taceam homoeoteleuta partim plena ac perfecta, partim non perfecta, *ce be ba an em.*

Idem Phoenice: Sed virum vera virtute vivere animatum addebet, — Aliae res obnoxiosae nocte in obscura latent.

Idem Telepho ap. Nonium p. 342, 14. — di deaeque magno mactassint malo.

Idem Annal. VI. Fraxinus frangitur, atque abies consternitur alta: Pinus proceras pervertunt.

et Annal. VIII. Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Pacuvius Periboea ap. Nonium p. 237, 4. Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet.

Idem Chryse ap. Non. p. 488, 14. Flucti flacciscunt, silecunt venti, mollitur mare.

Attius ap. Nonium p. 473, 9. Nullum — cor tam ferum, Quod non labascat lingua, mitescat malo. *mitescat malo* in Parmensi. Sed *mala* nihil est nisi erratum edit. Mercer.

Idem Phinidis ap. Nonium p. 504, 31. et 465. 15. Hac ubi curvo littore latratu Unda sub undis labunda sonit, Simul et circum magnisonantibus Excita saxis saeva sonando Crepitu clangente cachinnat. *ll unda und unda s s s cr cl cach.* Coniunxit ista Scaliger Coni. in Varr. p. 86. *Hac* scripsi ex nescio cuius emendatione ap. Scriverium, pro vulgato *Ac.* Scaligeri emendationem *magnisonantibus* sustentat aliquatenus Romana Laucri, in qua *magis sonantibus* editum; in Parmensi, aliis, *magna sonantibus* legitur.

Varro ap. Nonium p. 271, 10. solus rex, solus rhetor, solus formosus, fortis, —

Lucretius IV. 547, 8. Quom tuba — sub murmure mugit, Et revocat raucum retro cita barbara bombum. *ὄροματοποιία.*

Idem IV. 1143. Ecfugere infestum, nisi tute tibi obuius  
obstes. *ff t t t ob ob*

Catull. 28, 14. 5. At vobis mala multa di deaeque Dent,  
opprobria Romuli Remique,

Est etiam allitteratio, quam implicatam, alternantem, dixeris.  
Nos nostras (Nostras nos) more nostro et modo Amphitr.

I. 1, 66. *no mo no mo*

amor lassum animi ludificat Cistell. II. 1, 8.

Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias Mil. II,  
2, 37. *d f d f*

pernix sum manibus, sum pede mobilis ibid. III. 1, 36.

ad saxa ferri saevis fluctibus Merc. I. 2, 85.

Compressiones arctae amantum comparum Pseud. I. 1, 64.  
*comp a a comp*

insipienter factum sapienter feras Trucul. IV. 3, 53.

Amantium irae amoris integratio. Andr. III. 3, 23. Bentleii  
scriptura, quam etiam concinnitas commendat allitterationis, *am  
i am i*. Al. *redintegratio*, vel *reintegratio*, cum verbo *est*.

colaphis tuber est totum caput Adelp. II. 2, 37. *c t t c*

tristis, durus, difficilis, tenax Afranius ap. Non. p. 407, 25.

celere sancto subveni Censori Novius ap. Non. p. 510, 10.

— metus, egestas, moeror, senium, exsiliumque et senectus,  
Pacuvius Periboea ap. Nonium p. 3. versu octonario. Vide  
quam concinne, *m e m s e s*

Isti di mala multa dent clienti Catull. 14, 6.

Et facile alia, quae non animadverti. Huc pertinent,  
quae sunt apud Pontanum f. 128. b. supra a nobis p. 380. ad-  
hibita: laetum siliqua quassante legumen Georg. I. 74. *l qua  
qua l*. convisunt clara loca candida luce Lucret. V. 777. *c cl  
l ca can l*.

---